Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Polanci Societatis Iesv Theologi, Directorivm Breve, Ad Confessarii, Ac Confitentis Mvnvs Rectè Obeundum

Polanco, Juan-Alphonso de

[Köln], 1617

urn:nbn:de:hbz:466:1-41600

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. 2339.

g. I
19.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. IOANNIS

POLANCI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

DIRECTORIVM

BREVE, AD CONFESSARII, AC CONFITENTIS MVNVS RECTÈ OBEVNDVM.

ACCESSIT.

METHODVS AD ADIVVANDOS EOS QVI MORIVNTVR.

Liber Collegii Soc.tis Jesu Paderbornae 1623

PADERBORNÆ,

TYPIS MATTHÆI PONTANI,

Sumptibus PETRI HENNINGII.

ANNO M. DC. XVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nè
iuu
eſt
ſue
vt p
mis
dem
do ſ
eode
num
nego
apti
ea re
part
ſum

AD LECTOREM.

INTER ceteræ pietatis officia in quibus Societas Ieſu pro data ſibi à diuina liberalitate gratiæ menſura, verſari ſolet, illud ſanè audiendarum conf[e]ßionum, quod ad iuuandum hominum ſalutem imprimis eſt neceſſarium, frequentißimè obire conſueuit. Cùm igitur viſum eſſet expedire, vt presbyteri huius Societatis diuerſißimis orbis regionibus diſiuncti vnam, eandemq; rationem in hoc miniſterio gerendo ſequerentur, quemadmodum vno atq; eodem ſpiritu ad promouendam hominum ſalutem dicuntur, datum fuit mihi negotium à R. P. noſtro Præpoſito vt quã aptißimo ordine poſſem, in compendium ea redigi curarem, quæ partim lectione, partim obſeruatione, crebriſq; tum meis, tum aliorum experimentis vtilia eſſe & con-

Munus Societatis Ieſu frequentißimũ.

Ratio huius libri componendi.

Ratio huius libri vulgandi.

confeſſarius & confitentibus comperiſſem
Nec verò quiſquam exiſtimet, id nobis
fuiſſe propoſitum, vt Summam cauſam
conſcientiæ conficeremus, quin potiùs ad
huiuſmodi doctrinam ex aliis Doctori-
bus petendam hortamur: Sed id ageba-
mus hoc breui compendio, vt circa modũ
in confeſſionibus procedendi eſſet Sacerdo-
tibus noſtræ Societatis vna propoſita re-
gula, ad quam præcipuè, quæ ad hanc
functionem pertinent, dirigeremus: ſer-
uantes eam vnionem in illa exequenda,
quam omnibus in rebus tenere, propter
Chriſti obſequium ante omnia expeti-
mus. Verùm cùm plurimis exemplaribus
egeremus, quæ manu exarari vix etiam
longiſſimo tempore potuiſſent, ſtatuera-
mus Typographorum opera vti, & omnia
quæ excluderentur volumina recipere, vt
ea inter noſtros duntaxat diſtribueremus:
ita quidem feciſſemus, niſi Reuerendiſſi-
mus Archintus ſummi Pontificis in alma
Vrbe Vicarius (qui vnà cum Magiſtro
Sacri palatij, de libris qui Romæ impri-
muntur,

comperiſſem
et , id nobis
am cauſam
in potiùs ad
lijs Doctori-
Sed id ageba-
vt circa modū
eſſet Sacerdos
propoſita re-
quæ ad hanc
igeremus : ſer-
la exequenda,
enere, propter
omnia expeti-
exemplaribus
rari vix etiam
ſent, ſtatuera-
vti, & omnia
inæ recipere, vt
diſtribueremus:
ſi Reuerendiſſi-
ntificis in alma
cum Magiſtro
i Romæ impri-
muntur,

muntur, cenſuram ferre ſolet) nos, cùm hunc tractatum vidit, ad euulgandum illum, & cum aliis etiam extra Societatem communicandum fuiſſet hortatus. Qui ſperare ſe aiebat, multos, non confeſſarios & confitentes fructum non mediocrem ex illo eſſe capturos. Nos verò, qui labores omnes noſtros, ac nos ipſos publicæ animarum vtilitati, ad Dei gloriam conſecrauimus, vt aſpernari non debuimus iudicium huius ſapientiſſimi Præſulis, ita hac in parte eius ſancto deſiderio repugnare nullo modo auſi ſumus. Quare permiſimus, vt libellus hic in lucem prodiret. Precamur autem inexhauſtam Dei miſericordiam, vt tam confeſſarios ipſos, quàm pœnitētes, per pœnitentiam veram à peccatis purgatos, ad feliciſſimum illud regnum, in quo nihil intrat coinquinatum perducere dignetur, Amen.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO DE SVBSTANTIA, FINE ET EFFICIENTI CAVSA SACRAMENTI Pœnitentiæ.

Pœnitẽtia dupliciter accipitur.

POENITENTIA & Virtus eſt, & Sacramentum, juxta Doctorum ſententiam. Virtus quidem eſt, qua dolemus, vt oportet, de peccatis præteritis, cũ propoſito ea in futurum euitandi, quod breuiter Ambroſius, Pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Vt autem eſt Pœnitentia Sacramentum, id eſt, ex Auguſtino, & ſancto Thoma, ſacrę rei ſignũ, puta remiſſionis peccatorum, duplices actus includit, nimirum, peccatoris cor receſſiſſe à peccato oſtendentes, & Sacerdotis, opus Dei in remiſſione peccatorum ſignificantes.

Pœnitẽtiæ, vt virtus eſt, definitio.

Pœniten tiæ, vt eſt Sacramentum, definitio.

Sed rem magis explicando ex Concilio Florentino (cui conſonat Tridentinũ & Doctores) huius Sacramenti quaſi materia, ſunt Actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes.

Sacramenti pœnitentiæ materia.

Prima

Contritio.

Prima eſt cordis contritio, qua pœnitens deteſtatur, & dolet de peccatis commiſſis, cum propoſito amplius non peccandi.

Confeſſio.

Secunda eſt oris confeſſio, qua omnia peccata, quorum memoriam habet, Sacerdoti ſuo integrè confitetur.

Satisfactio.

Tertia eſt operis ſatisfactio, qua pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis ſatisfacit, quæ quidem præcipuè fit per ieiunium, orationem & eleemoſynã.

Pœnitẽtiæ Forma.

Formæ huius Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſoluo; omnia autem alia ſunt ad ſolennitatem, quæ tamen non ſunt prætermittenda.

Finis.

Finis verò, res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & inſtitutionem ſpectat, eſt abſolui à peccatis, & reconciliari Deo, in eius gratiam redeundo: vnde ſequitur liberatio à pœnis Inferni, & in ijs qui deuotè confitentur, pax & ſerenitas conſcientiæ, cum magna ſpiritus conſolatione, & augmento donorum Dei.

Efficiẽs.

Cauſa efficiens, & primaria huius Sacramenti licet Deus ſit, Chriſti meritum intuens, tamen vt ſecundaria & inſtrumentalis, eſt miniſter huius Sacramen-

qui Sacerdos eſſe debet, habens authoritatem abſoluendi ordinariam, vel ex delegatione ſuperioris: & de hoc miniſtro dirigendo ſermo nobis impræſentiarum futurus eſt. Sed vt in artificialibus, artificis eſſe ſolet, & quæ ad ſuam perſonam ſpectant curare, & artis materiam diſponere, & in eandem diſpoſitam formam inducere, & ad finem animo propoſitum totum opus aptare: ſic huius Sacraméti miniſtro (q Confeſſarius eſt) vt ſuo perfungatur officio, quatuor erũt curanda. Primum pertinet ad ipſius perſonam, vt apta ſit ad hoc mun⁹ obeundum. Secundum ad Sacramenti materiam; ſcilicet actus confitentis, vt is à confeſſario adiutus, circa contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, ſuum officium faciat. Tertium ad formam huius Sacramenti, vt rectè, atque ordine abſolutio impendatur. Quartum ad finẽ, vt ſcilicet pœnitens non ſolùm per peccatorum veniam DEO reconciletur, verùm etiam emendationem vitæ, pacem, & conſolationem ſpiritualem referat. & ad gratiæ profectum ſe diſponat. Et de his quatuor totidem capitibus agendum erit.

Confeſſario quæ curanda.

DE

M
bens authori-
am,vel ex de-
hoc miniſtro
ræſentiarum
alibus, artifi.
m perſonam
teriam diſpo-
tam formam
o propoſitum
us Sacraméti
ſt) vt ſuo per-
erũt curanda.
perſonam, vt
ndum. Secun-
am;ſcilicet a-
onfeſſario ad
confeſſionem
ficium faciat.
s Sacramenti,
olutio impen
vt ſcilicet pœ-
ccatorum ve-
verùm etiam
n, & conſola-
t. & ad gratiæ
Et de his qua-
gendum erit.

DE

DE CONFESSARII CVRA CIRCA PERSONAM SVAM, AC PRImò de Scientia.

CAPVT I.

QUod ad Confeſſarij perſonam attinet, vt rectè & ſecurè ſuo fungatur officio, quinq; (vt ferè omnes conſentiunt) ei neceſſaria ſunt ſcilicet, ſcientia, poteſtas, bonitas, prudentia, ſecretum. Ex quibus tamen, quædam ad ipſam Sacramenti huius adminiſtrationem ſunt neceſſaria: quædam vt inculpatè ab ipſo confeſſario adminiſtretur, quædã vt decorè, & cum fructu magno animarum.

Quinque confeſſario neceſſaria.

Ac primo quidem loco, ſcientia neceſſaria eſt eatenus, vt à non peccatis, peccata, & mortalia in communi vel ex genere à venialibus diſcernat. Ex genere ſunt mortalia, quæ contra charitatem Dei & proximi admittuntur: quod intelligetur videndo, an ſint contra præcepta Dei vel Eccleſiæ contra votum, vel conſcientiam, quod accidit ijs, qui id quod

Primò ſcientia.

Peccata mortalia ex genere quæ.

reputant mortale (fortè non verè) nihilominus faciunt. Sciat etiam oportet generaliter, quæ mala eſſe ſatis apparet: vt ſeptem peccata capitalia, & ſpecies eorum, quæ ſtatim annexum malum oſtendunt ex ſeipſis. Caueat autem facilè pronuntiare, aliquid eſſe mortale, quod certò neſciat; in dubijs, inclinet potiùs ad ſecuriorem patrem, in difficilioribus nouerit dubitare: vt quod per ſe non poteſt, alios conſulendo reſoluat. Interim ſi res fuerit talis, vt niſi de ea conſtiterit, dari nequeat abſolutio, differenda erit decenter, admonitio, vt redeat, pœnitenter.

Peccatorum circunſtantiæ. Debet etiam ſcire circumſtantias peccatorum, præcipuè eas, quæ mutant ſpeciem actus, & ex quibus poteſt reddi peccatum mortale: vt ſi tenetur pœnitens ad reſtitutionem, ſi vult perſeuerare in peccato, ſi incidit in caſus reſeruatos, ſi eſt in excommunicatione. Et præcipuè eas excommunicationes ſcire debet, à quibus ipſe non poteſt abſoluere. De alijs vinculis ſuſpenſionis & interdicti, & de nota irregularitatis, licet non ſit perinde neceſſaria, aliquatenus certè curanda eſt cognitio: ſciat etiam in quibus caſibus ſit iteranda confeſſio,

Pri-

Primò, ſcilicet, cùm in pœnitente deficit propoſitum abſtinendi à peccato. *Confeſſio quibus caſibus iteranda.*

Secundò, cùm ex intentione aliquod peccatum omiſſum eſt in confeſſione.

Tertiò, cùm confeſſarium non habuiſſe poteſtatem abſoluendi conſtat, quod accideret, ſi non eſſe ſacerdotem, vel non habuiſſe juriſdictionem, vel certè non eius vſum propter excommunicationem publicatam vel ſuſpenſionem conſtaret. Quartò, cùm conſtat mentis compotem non fuiſſe confeſſarium, vel noluiſſe abſoluere. Quintò, ſi omnino ignorans fuit ſacerdos, adeò vt qua forma ad abſoluendum vti deberet, neſciret, vel ſermonem pœnitentis non intellexit. Sextò, ſi pœnitens impedimentum habuit, vt excommunicationis. Multi addunt Septimum, id eſt ob pœnitentiam ex contemptu vel nimia negligentia omiſſam, cuius pœnitens oblitus eſt: Propter hoc tamen vltimum iterare potius ſecuritatis, quàm neceſſitatis eſt *Propter pœnitentiam omiſſam, confeſſio non iteranda.*

Scire etiam tenetur, quouſq; ſe extendat poteſtas ei conceſſa, qui autem non ex obedientia, ſed ex ſua voluntate ſe offert ad audiendas confeſſiones, vbi alij præſertim idonei non deſunt, inſtru-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ctor ſcientia eſſe debet

Quia autem dubitas, an ſit idoneus, ſi ei imponitur à ſuperiore, intrepidè obediat.

De poteſtate Confeſſarij.

Poteſtas ordinis.

PRæter ſcientiam, Confeſſario neceſſaria eſt triplex poteſtas: prima ordinis vt ſit Sacerdos: ſecunda juriſdictionis, ordinaria vel delegata, vt ſcilicet facultas ab eo, qui poteſt, ei concedatur.

Poteſtas juriſdictionis.

Qui enim à reſeruatis ſibi peccatis abſolueret, ſcienter, vel ignorantia juris craſſa, grauiter peccaret, & cui hoc accideret, deberet obtenta facultate abſoluendi, & vocato pœnitente, ſi fieri commodè poſſet) quaſi volens de alijs interrogare, & certior fieri, cum eiuſdem conſenſu, vel eodem ad confeſſionem inducto eum iterum abſoluere; ſi non poteſt cum eo loqui, vel ſine ſcandalo monere, Chriſto committat. Religioſus, qui ab excõmunicatione à jure, vel quicunque ab excommunicatione in Bulla cœnæ reſeruata, ſine poteſtate abſoluere præſumeret, excommunicationem incurreret. In articulo tamen mortis naturalis vel illatæ, vt in his, qui morti adjudicati ſunt de omnibus excommunicationibus, & peccatis poteſt quiuis Sacer-

Reli[illegible] jus a[illegible] uens ab Excommunicatione reſeruata qui pœna[illegible] incur[illegible]

In mortis articulo qui-

cerdos abſoluere. Tertia poteſtas eſt quo ad vſum, ne ſcilicet ſit excommunicatus ſuſpenſus, vel irregularis. De excõmunicatione autem, ſuſpenſione & irregularitate, ac etiam interdicto alibi plura.

uis Sacerdos poteſt abſoluere.

Poteſtas quo ad vſũ.

De bonitate Confeſſarij.

Bonitas Confeſſarii.

EST enim neceſſaria Confeſſario bonitas. Qui enim in peccato mortali audiret confeſſiones, mortaliter peccaret. Vice verſa quo ipſe melior, & in omnibus virtutibus, præcipuè in charitate fraterna, & zelo animarum eminentior fuerit, eo aptius erit inſtrumentũ diuinę bonitatis, vt per ipſum dignetur pœnitenti plenius gratiæ ac virtutum incrementum præſtare. Ad bonitatẽ pertinẽt, vt ſit compoſitus exteriùs & interiùs qui confeſſiones audit: exterius quidem, vt nihil videatur in vultu & geſtibus, vel motibus corporis, vel etiam in veſtitu, nec in voce audiatur quod non deceat virum maturum, & qui meminit ſe locũ Dei tenere. Interiùs verò, vt conſiderando cuius vices gerat, tanquam in eius oculis cum reuerentia & timore ſancto hoc officium peragat, & humiliter de ſe ſentiens, in corde ſuo confitentes ſibi præferat, ac ſe meliores exiſtimet.

Confeſſarius ſit compoſitus.

Exteriùs.

Interiùs.

De

De prudentia Confeſſarij.

Confeſſarii prudentia.

PRæterea prudentem eſſe oportet, tū erga pœnitentem, in eius vulneribus medici more perſcrutandis, ac medicina adhibenda (de quo inferiùs) tum erga ſe-ipſum, cautè agendo in iis interrogandis, quæ poſſent in tentationem adducere incautos: verbis etiam honeſtis vtatur, & vti deceat: Satis enim eſt intelligi, id quod dicitur. Quod attinet ad adſpectum, excludendus eſt vtrinque, vt nec qui confitetur faciem confeſſarii, nec confeſſarius videat confitentis præcipuè ſi mulieres ſunt: imò ad latus ſunt conſtituendi, & ſi nihil fuerit intermedium quod aſpectum prohibeat, aurem eiuſdem præbendo, certè manu ab eodem latere maxillæ adpoſita, faciei aſpectus excludi poterit.

Aſpectus Confeſſarii & pœnitentis vitandus.

Mulieres verò nonniſi in publico audire, & breuiter quantum fieri poteſt, & res patitur, eas expedire conuenit.

Mulieres in publico, & cito expediendæ.

Frequenter confitentibus certum tempus conſtitui debet, extra quod non audiantur: & cum eiſdem potiùs ſeueri quàm blandi ſint Confeſſarii, nec longis prædicationibus vtantur: & quamuis eſt prudentiæ reſolutionem eorum, de quibus dubitat Confeſſarius, differre, donec rem meli-

Quid cū frequenter confitentibus.

meli-

melius expenderit, tamē eos, qui parati ſunt facere quod debent, interdum poſſet abſoluere. Si caſus occurreret, de quo conſtat, quod variè ſentiunt doctores, inſignes, alij ſcilicet quod ſit peccatum mortale, alij contra, & pœnitens adhæret alicuius eorum opinioni periculoſiori, tutior quidem via ei ſuadenda, & periculi terror incutiendus eſt: ſed tamē non poteſt ei negari abſolutio, ab eo qui ordinarius eſt: qui tamen nō eſt ordinarius, ſi ſentit eſſe mortale, ſequi poteſt ſuum iudicium, & non abſoluere: videat ergo quid expediat. Quod ſi non innitatur rationi validæ, nec claro authori pęnitens, & dubium ſit an peccatū hoc ſit, vel illud, omnino debet abſtinere velle. Si non de peccato agitur, ſed an hoc faciendum nec ne, puta pœna ſubeunda, vel reſtitutio facienda, &c. benignior in dubiis pars eligenda, iuxta illud cap. de tranſact. In his ſuper quibus ius non inuenitur expreſſum, procedas æquitate ſeruata, ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundum quòd perſonas, loca, & tempora videris poſtulare. Eſt etiam prudentiæ, cùm omnes audire nequeat, eos libentius & prius audire, qui magis indigent, vt ſunt qui rariùs con-

Quid cū caſus occurrit, de quo varie ſentiunt Doctores.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quinam libentiꝰ & prius confeſſario audiendi.

confitentur, & quorum ſpiritualis profectus redundat ad maiorem Dei gloriam & commune bonum.

De ſecreto vel ſigillo confeſſarij.

Confeſſionis ſigillum quàm arctè ſeruandũ.

DEmùm Confeſſarius debet eſſe ſecretus; vt nullo præcepto, etiam ſummi Pontificis, manifeſtet, quæ in confeſſione audiuit, & poteſt dicere, & iurare ſe neſcire, quia neſcit vt homini ſubiectus, licet magnum aliquod malum immineat non reuelando: cui tamen malo prouidere par eſt, quoad eius fieri poteſt, non prodendo confitentem vllo modo, nec odioſam faciendo confeſſionem.

Nota.

De licentia tamen confitentis, & citra ſcandalum, poſſunt reuelari audita: ſed non debent, niſi prodeſſe poſſint. Qui interrogatus an abſoluerit aliquem, dicit ſe non abſoluiſſe, quia ex multis cauſis hoc potuit accidere, non eſt quidem ille ſemper damnandus vt reuelator, ſed malè diceret, potius dictum oportuit, ſe feciſſe quod debuit, imò ſi ex conſultatione confeſſarij, vel etiam peccati proprij confeſſione, poſſet innoteſcere peccatum alicuius in confeſſione auditum (quod rarò admodum poſſet accidere) potiùs differ-

Q[illegible] ſp[illegible] dum cõfeſſario cum interrogatur.

differri debet, fortior enim eſt tunc obligatio ſigilli, quàm confeſſionis faciendæ. Caueat etiam ne propter vllum peccati genus, minus benignam faciem, quam prius, oſtendat pœnitenti. Et hæc de perſona Confeſſarij dicta ſint.

abſolue-rit N. Eadem humanitate qua prius excipiendus pœnitens.

DE CVRA VEL INDVSTRIA *Confeſſarij circa actus pœnitentis.*

CAPVT II.

SECVNDA Confeſſarij cura eſſe debet, circa pœnitētem iuuandum ad actus ſuos, ſcilicet contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis rectè peragendos, His autem qui rariùs & nō benè confitentur, Confeſſarij charitas, induſtria, & diligentia eſt magis neceſſaria, Vt quo ad eius fieri poſſit, pœnitentium defectus ſupplendo, eos ad huius Sacramenti finem conſequendum diſponat. Quia verò cum huiuſmodi, hæc cura ſecunda Confeſſarij, de qua agimus, magis exercetur, his accommodato ſermone, de ea pleniùs agetur.

Pœnitēs quomodo iuuandus.

De his quæ præmittuntur confeſſioni.

Pri-

Ante cōfeſsionē per orationem diſponat ſe ſacerdos.

PRimùm, ſacerdoti paranti ſe ad audiendas confeſſiones, renouandum eſt deſiderium ſalutis animarum, & diuini honoris, per orationem: qua (licet breuiter) petet à Deo gratiam pœnitentibus vt ad ipſum verè per confeſſionem redeant, ac Sacramenti finem conſequãtur, & ſibi, vt ſuo munere rectè fungatur: & ne confeſſarij neglentia, impediat vim & efficaciã Sanguinis Chriſti, & diuinæ liberalitatis influxum in pœnitentes, quin potius vt ſuppleat ſumma bonitas ipſius & potentia, vilis inſtrumenti defectus.

Quid in ipſo confeßionis decurſu.

In ipſo etiam cõfeſſionis decurſu, exerceri modo eodẽ charitas poteſt, & pœnitens ſemper vt imago Dei, reparata Chriſti ſanguine, & eo perfuſa, oculis mentis obiiciatur.

Pœn… decenter corã confeſſario ſe habeat.

Suſcepto pœnitente (quem ſubditum ſibi Confeſſarius cognoſcat oportet) curandum eſt, vt decenter ſe habeat, vtroque genu flexo, & capite nudo (ſi poteſt) facie verò non ad ſacerdotem, vt dictum eſt, ſed ad latus verſa, etſi ſua ſponte non faceret, blandè monendus eſſet vt meminerit, ſe non coram homine peccatore, ſed coram Deo altiſſimo cõſtitutum eſſe, vt agnoſcendo offenſas humiliter veniam poſtulet: Proinde iux-

ta

ta ſanctam confitentium conſuetudinẽ genua flectat, & caput aperiat. Doceat præterea (ſi tam rudis eſt pœnitens, vt id per ſe facere neſciat) ſigno crucis ſe munire. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & confeſſionem generalem, vſque ad illa verba: Mea maxima culpa ſimul cum ea dicat.

Pœnitentis ſtatũ & conditionem explorat confeſſarius.

Si neſcit ſtatum confitentis, & conditionem & officium, petat breuiter, vt conuenienter ex propriis cum eo procedat: refert enim intelligere ſi ſit coniugatus, in ſacris, ſi beneficium eccleſiaſticum habens, ſi literatus, & huiuſmodi.

Secũdo, tempus à quo nõ eſt confeſſus.

Petat de tempore, à quo non eſt confeſſus, nec communicauit. Ad quod omnes qui attingunt diſcretionis ætatem & eam ſufficienter videntur conſecuti, tenentur, certè ſemel in anno, & quidem circa feſtum Reſurrectionis, quod ad communionem attinet.

Tertiò, an fecerit pœnitentiã iniunctam.

Interroget (ſi hominem in hac parte non nouit) an fecerit pœnitentiam iniunctam, & an conſcientiæ ſuæ ſatisfecerit, omnia dicendo quæ memoriæ occurrerunt peccata, in præteritis confeſſionibus: vt videatur, an iterãda ſit confeſſio; quod ſi videretur iteranda hortetur eum, vt ſe paret, & tempus ſumat

ad o-

ad omnia confitenda: vel ſi de morte timeatur;aut non apparet facturus ſi inde receſſerit:hortetur,vt tunc dicat omnia, etiam quæ in aliis confeſſionibus dixit (poſtquam omiſit aliquid ſcienter) quãtum recordari poterit, quia illæ omnes inutiles fuerunt.

Quartò, an conſcientiã diſcuſſerit.

Petat an diſcuſſerit conſcientiam ſuam ad hanc confeſſionem inſtituendam: ſi dicat ſe non diſcuſſiſſe,& veriſimile ſit quòd pòſt redibit paratior, dimittendus eſſet,vt ſe diſcutiat, pręfixo tempore quo redeat. Si mors vel phreneſis immineret, vel non ſit veriſimile quod redibit ſemel dimiſſus, vel ſi dicat aliquo modo ſe diſcuſiſſe ſuam conſcientiam (præſertim ſi ſit valde rudis) monendus eſt vt in poſterũ diligentius ſe præparet, & vt quod recordatur, ſincerè dicat cum omni ea humilitate & diſplicentia peccatorum, quâ poteſt, vt qui ab offenſa Maieſtate Dei, veniam per confeſſionem ſit impetraturus,&ſupplere nitatur confeſſarius ſuis interrogationibus defectum planæ diſcuſſionis.

Quintò, an excõmunicationem incurrerit

Petat an incurrerit excommunicationem, & ab ea ſi incurrit, abſoluat, ſiquidem poteſt:vel ſi non poteſt, remittat ad ſuperiorem, vel ipſe obtinere ab eo facul-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel ſi de morte ti-
t facturus ſi inde
inc dicat omnia,
feſſionibus dixit
id ſcienter) quã-
quia illæ omnes

conſcientiam ſu-
m inſtituendam:
e, & veriſimile ſit
ior, dimittendus
ixo tempore quo
neſis immineret,
iod redibit ſemel
quo modo ſe diſ-
am (præſertim ſi
ndus eſt vt in po-
paret, & vt quod
cat cum omni ea
tia peccatorum,
ffenſa Maieſtate
ſionem ſit impe-
atur confeſſarius
defectum planæ

xcommunicatio-
t, abſoluat, ſiqui-
oteſt, remittat ad
btinere ab eo fa-
cul-

cultatem abſoluendi curet. Præſtat tamen ſi remittendus eſt, de aliis, quæ reſeruata eſſe poſſunt, priùs interrogare, vt ſimul ad omnia facultas obtineatur: ſic etiam (ſi tempus abunde non ſuppetat) interrogari in initio expedit pœnitentẽ de his, quæ impediunt ne poſſit abſolui: vt an ſit in aliquo peccato quod non ſit paratus relinquere, qualis eſt vſura, concubinatus, odia, vel alia huiuſmodi: & de clericis, an habeant incomparabilia, & cum qua conſcientia & titulo, & quã do non habent tonſuram, & habitum tolerabilem, dimittendi ſunt, donec ferant, niſi excuſationem habeant legitimam, quæ rarò admodum haberi ſolet. Et hæc commodè præmittuntur, quia ſi adhibita perſuaſione parati non ſunt à peccato recedere, tempus conteritur cum his, quod cum aliis vtiliùs expenderetur, ſi tamen occupationes non vigerent, pium eſſe hos audire, ſi fortè miſereretur Deus, eorum commutando in confeſſionis decurſu. Licet tamen dimittantur, non progrediendo in confeſſione, conſilio bono iuuandi ſunt, vt per noua opera ſe diſponant ad gratiam accipiendam, & peccata euitent, &c. His ergo præmiſſis vt oportere iudicabit.

Quid ſi pœnitẽs non ſit paratus.

Con-

Confeſſarius dicat pęnitenti, vt quæ cogitauit, & memoria habet dicat, & quamuis ille malit interrogari; nihilominus exhortandus eſt vt dicat potiùs quod meminit: iuuat enim id, licet inordinatè & imperfectè faciat.

De interrogatione qua ſuppletur diſcuſſio inſufficiens pœnitentis.

QVàm diu dixerit quiſque quod meminit, eum attentè audire oportet, & ſine interruptione, niſi forte videretur monendus obiter (ſi erraret in eo) ne nominet perſonam aliquam, vel ne dicat ſuperflua, & ad rem non pertinentia, vel quid huiuſmodi, quod non impediat curſum confitentis, ſed potius dirigat. Poſtquam verò dixit, quod per ſe dicere potuit, ſi non videtur omnia, quæ neceſſariò dicta oportuit, dixiſſe, tenetur interrogare confeſſarius.

Pœnites dum dicit, non interrūpendus.

Propoſita ergo benignè ſpe miſericordiæ, curet ſacerdos pœnitentem animari, vt verè, integrè, ac liberè reſpondeat ad interrogata (quod cum pueris & mulieribus magis eſt neceſſarium) ne quid propter verecundiam taceant, ſed nec dicant amplius quàm ſciunt: imò certa pro certis, dubia pro dubiis, prout ipſi meminerunt dicant.

Pœnitens animandus.

Tunc

Interrogandus pœnitens ſed prudenter.

Tunc demum diſcurrat interrogando per præcepta, &c. (prout in interrogatorio patebit) & quidem diligenter & prudenter vbi opus eſt: vt quæ peccator ignorat vel præ verecundia, vel negligentia tacet, eliciat. Et ordinate procedere expedit, cùm vacat pœnitenti: alioqui ſi mors, vel phreneſis (vt dictum eſt) vel linguæ impedimentum timeretur, ſummus ordo eſt, non ſeruare ordinem alium, quàm quem diſcretio dictauerit: ſed ferè grauiora, & quibus pœnitens videtur magis indigere, prius interrogari conuenit. Et quamuis de circumſtantiis mutantibus ſpeciem peccati, vel multum aggrauantibus, quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, interrogare oporteat, duo tamen in omnibus peccatis, præcipuè in venereis ſunt cauenda: alterum, ne ita explicitè interroget, quæ communiter non ſunt nota, vt doceat pœnitentem, quæ neſcit: ideò à longè procedere oportet, & gradatim à communioribus deſcendere: quæ ſi non agnoſcit pœnitens, nõ eſt, quod de ſpeciebus interroget, vt qui de contactu aliquo inhoneſto interrogatus negat, non de hoc, & illo modo,

Ordinatè procedendũ, ſi vacat.

Duo in interrogando cauenda.

Primũ.

vel

vel ſpecie contactus debet interrogari: alterum eſt, ne confeſſor parum ſobriè inueſtigans circumſtantias non neceſſarias (tales ſunt quæ non mutant ſpeciem peccati, vel in infinitum aggrauant) ſibi & pœnitenti tentationem excitet. Habita ergo ſpecie peccati in talibus progredi non expedit ad alias circumſtantias, dicant ipſi volunt.

Peccatorum numer⁹ exigendus, & quomodo.

De numero peccatorum oportet quidem interrogare, ſed videndum ne ſubtiliter computando faſtidium generetur pœnitenti: ſatis enim eſt, vt plus minùs ſecundum exiſtimationem ſuam, dicat quiſque, quoties peccauit.

Interrogatione, perſonarum ratio habenda.

Plus & minus, & alio atque alio modo interrrogare oportet pro qualitate perſonæ; & quemque de his, quæ magis propria ſunt ei, animaduerſo ſtatu, & officio, & ijs, quæ ex dictis ab ipſo elici poſſunt. Et quamuis non debet eſſe moleſtus, cum aliqua dicta ſunt, in eiſdem interrogandis: ſi tamen quid non benè expreſſum, magis declarari oporteret, interroget, ſed ita vt intelligat pœnitens non idipſum quod dixit, ſed aliquid aliud peti, quod non dixit.

Pœnitẽs qui mo-

Vt magis innoteſcat, & melius iuuari poſſit pęnitentis conſcientia, interrogare

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gare etiam oportet, num præueniat tentationes, aditum eis præbendo, an reſiſtat: tum de bonis inſpirationibus, num excludat, an eis obediat, & etiam bona (ſicuti & mala) expedit intelligi à Confeſſario, vt ad ea conſeruanda, & augenda juuet.

do iuuādus.

Demùm interrogentur, an aliquid aliud habeant, quod grauet conſcientiā. &c. Et vt addant in fine clauſulam generalē, id eſt, De cunctis aliis vitijs & peccatis, &c. dico meam culpam, & precor, &c. vſq; ad finem confeſſionis generalis.

De pœnitente iuuando ad Contritionem habendam.

DVM aliquis per ſe dicit peccata, vel interrogatus, (præſertim ſi huiuſmodi eſt, vt propter verecundiam vel timorem aliquid poſſit reticere) non debent aggrauari peccata, nec reprehenſionibus deterrendus eſt pœnitens, ſed potius compaſſione & benignitate oſtenſa, animandus, vt cum fiducia omnia & ſincerè dicat. At dictis iam omnibus peccatis, ſi parum de eis dolere videtur, det operam Sacerdos, vt peccator eorum grauitatem ſentiat, in genere oſtendendo, quàm graue ſit peccatum

Peccata dū confitetur pœnitens non exaggeranda.

Peccatorum grauitas confitenti quando & quo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modo oſtendē-dus.

mortale, ex Dei judicijs, in Luciferum & primos parentes ob vnum peccatum: & ex punitione debita cuilibet peccato mortali, quo perditur gratia Dei & regnum æternæ beatitudinis, quo filij Dei efficiuntur ſerui dæmonis, & ad nunquam finiendos inferni cruciatus damnantur, ſi in eo, ſine pœnitentia decedant. Oſtendetur etiam vulneris grauitas, ex remedij difficultate: quia ex ſanguine Chriſti filij Dei, & tormentis, & demum ex morte acerbiſſima, medicina ad id ſanandum confici debuit. Si qui ad amorem ſunt faciliores, ex hoc vltimo, & beneficijs, & bonitate Dei, & ſua ingratitudine, magis compungi poterunt. Deinde deſcendendo ad aliqua grauiora, ex his quæ dicta ſunt, & ad ea, ad quæ magis vidētur pœnitentes propenſi, exaggeranda & aggrauanda ſunt, vt magis ea deteſtentur; terrorem etiam vindictæ Dei, niſi abſtineant, incutere aliquando conuenit. Moneantur certè quod dolor de peccatis mortalibus, ſuper omnes dolores internos eſſe debet, & vt doleant quòd non habent veram illam contritionem, quam deberent.

Reprehenſio etiam cum ingenijs a-

greſtioribus durior, ne contemnant, eſt adhibenda. Sapientiores & in dignitate eminentiores, blandè & cum dexteritate ſunt reprehendendi.

Quinam dure, vel leniter tractandi.

Quantum autem ſit opus his vti, diſcretio, & præcipuè vnctio ſuperna docebit, ſed vtcunque curet confeſſarius ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum, partem bonam pœnitentiæ ferre, vt ſentiens qui confitetur quàm ei aliena peccata ex charitatis effectu doleant, etiam ipſe de proprijs doleat.

Pœnitens quãdo non abſoluendus.

Demùm petat (niſi ſatis apparet) an doleat de omnibus, & propoſitum habeat vitam omnem emendandi, & abſtinendi ab omnibus peccatis pro virili, & ſatisfaciendi pro commiſſis vt oportet: ſi oſtendit ſe non paratum ad relinquendum ſtatum peccati, vt concubinā ſeu artem illicitam, vel ad ſatisfaciendū, vt in vſuris, & alijs, quæ reſtitutionem exigunt, diligenter quidem conetur animum proximi ſui lucrifacere perſuadendo: ſed ſi omninò non poſſit, ne abſoluat, ſed hortetur (vt dictum eſt ſuperius) ad bona agenda, & mala vitanda: & quicquid poteſt ei prodeſſe, vt diſponat ſe ad gratiam Dei, & declaret quanto in periculo ſit, & quod non eſt abſolutus.

Verè pœnitentes conſolandi.

Eos, qui propoſitum habent relinquendi peccata conſolari oportet; propoſita ſpe veniæ, & quod Dei miſericordia, & Chriſti ſanguis effuſus ſupplebunt defectúm diſcuſſionis & contritionis, & ſi quæ alia acciderunt in confeſſione, dum modo ſincerè & integrè dixerit quicq̃d in memora habuit. Qui autem eſſent delecti nimis ſenſu peccatorum, vel ſcrupulis obnoxij, diligentiùs erigendi exemplis diuinæ pietatis, & animandi, & pacificandi ſunt; & ſi opus eſt, recipiat ad ſe confeſſarius quòd Deo reſpondebit pro ipſis: & peccata interdum extenuare (quantum licet) cum huiuſmodi neceſſe eſt.

Qui ſcrupulis vexantur, erigendi.

Quomodo in ſatiſfactione pœnitens iuuetur.

Quid, cū reſtitutio facienda.

HIS tranſactis, ſi qua reſtitutione damni, rei, vel famæ, vel bonorum animæ opus eſt, ſignificetur pœnitenti: licet tamen dicat ſe velle reſtituere, vel facere quod debet, ſi probabiliter timet confeſſarius non expleturum, inſinuare poteſt, quòd commutationes vel compoſitiones prodeſſe poſſunt, & quamuis ſimpliciter abſoluat, proteſtetur tamen quòd ſi non reſtituat, vel faciat quod debet,

debet, peribit ei fructus confeſſionis. Promiſſio verò ſpecialis, vel iuramentum ab huiuſmodi qui parum diſpoſiti videntur, exigi non debet, niſi in caſibus à jure ordinatis, de quibus infra. *Iuramẽtum non exigendum, niſi &c.*

Poſtea iniungatur ante abſolutionem, ſacramentalis ſatisfactio, vel pœnitentia Et eſt videndum, ne in præiudicium tertij ſit: vt ſi ſeruo peregrinatio vel jeiunium magnum iniungeretur: nec etiam pro occulto peccato manifeſta pœnitentia dari debet, ex qua in ſuſpicionem illius veniri poſſit. *Pœnitẽtia ante abſolutionẽ iniungenda.*

Quòd attinet ad magnitudinem ſatisfactionis, præſtat errare minorem æquò, quam maiorem imponendo: licet re vera idem opus in ſacramentali pœnitentia iniunctum, efficacius ſit ad meritum, ob clauuim virtutem, quàm ſi voluntariè fieret: Imò ea non tam quantitati, aut qualitati criminis (cuius tamen eſt habenda ratio) quàm perſonæ debet congruere. Nam diſpoſitis, ad maiorem pœnitentiam admittendam, maior poteſt injungi: infirmis qui vel non admittunt, vel certè videntur non expleturi grauiorem pœnitentiam, eam imponat, quam executuri videbuntur. Concedat etiam poſſe redimere, vt jeiu- *Pœnitẽtia quãta iniungenda.*

nia, eleemoſynis: quædam etiam pœnitentis relinquat arbitrio, vt ſi dicat: Hoc facies, vel ſi malueris, illud: demum potius leuem ſatisfactionem imponat, quàm recedere ſinat afflictum, vel deſperatum pœnitentem, ob pœnitentiæ grauitatem. Quando tamen exigua iniungetur pœnitentia indicari poſſet, quantò maiorem mereretur: ſiquidē ſeptennis pro quouis mortali in vſu erat. 32 q. 1. Si tamen timeretur nimia deiectio vel diffidentia, non expedit hoc dicere, & charitatis erit, humaniori adhortatione ſuadere voluntariam ſatisfactionem, ſignificando quod in Purgatorio, aut in hoc mundo, quod reliquum eſt pœnæ luere oportebit: vtcunque hoc ſit, hortetur, vt in gratia Dei pœnitentiam abſoluere curet.

Pœnitentia leuior potius imponenda.

Not.

Feratur autem intenſio iniungendis pœnitentiam vel ſatisfactionem, ad extirpationem vitiorum: vnde, contraria ſi admittantur, maximè conueniunt, vt eleemoſyna contra auaritiam, jeiunium contra luxuriam, audire verbum Dei contra negligentiam in eo audiendo, oratio ad gratias impetrandas, vt ſeptem Pater & Aue, ad ſeptem dona & virtutes, contra ſeptem peccata, quinque ad reforma-

Intentio confeſſarij in pœnitentijs iniungendis contraria contrarijs curentur.

formationem quinque ſenſuum, tres ad reformationem trium potentiarum, vel vt bene ſe habeat ad Deum, proximum, & ſeipſum. Confert etiam pro pœnitentia aliquando, imponere euitationem aliquarum occaſionum peccati, & præciſionem cauſarum eius, vt allocutionem huius, ingreſſum in domum illius, &c. quædam etiam fortiſſima, & latiſſimè patientia ex remedijs, quale eſt octauo vel decimoquinto quoque die confiteri (ſi quis admitteret libenter) loco ſatisfactionis vtiliter iniungeretur. Aduertendum eſt etiam, quod ijs maximè, qui recidere ſolent, iniungere pœnitentias expedit operum, quæ manent, vt eleemoſynæ. Sunt enim qui dubitant de non manentibus (qualis eſt oratio) an etiam poſt reſipiſcentiam valeant ijs, qui in mortali exoluerunt. Hactenus de ſecunda confeſſoris cura, quæ verſatur circa materiam huius ſacramenti, id eſt, actus pœnitentis, & maximè accomodato ſermone illis, qui auxilio indigent maiori vt qui raró & non benè confitentur.

Occaſionum euitatio in pœnitentia imponenda.

Item cõfeſſio frequens.

Recidiuantibus q[...] pœnitentiæ iniungendæ.

Quomódo cum aliis qui minori egent auxilio ſe habeat confeſſarius.

AT ſunt aliqui, qui ſæpius, & rectè confitentur, ac noti ſunt. His ſatis

Sæpius & rectè

co[illegible]ten-te[illegible] modo iuuandi. eſt, audita eorum confeſſione, pœnitentiam iniungere: niſi remedium aliquod, ad aliquos defectus, aut conſolatio, aut exhortatio aliqua, vel inſtructio adhibenda videatur.

Sæpius ſed non rectè cõfitentes quomodo iuuandi. Alij ſunt, qui ſæpius quidem confitentur, ſed minus rectè, & hi ea in parte iuuandi ſunt in qua non benè procedunt: ſi enim conſcientiam ſuam non videntur benè diſcuſſiſſe: vel certè peccata non exprimunt, interrogatione juuandi ſunt, juxta breue interrogatorium, quod ſubdetur. Si dolor deeſſe, vel propoſitum firmum abſtinendi, vel ſatisfaciendi, vel alia ad confeſſionem neceſſaria videbũtur, ex ſuperiùs dictis, quæ ad hæc inducunt, adhiberi poterunt, quæ diſcretio confeſſarij juxta perſonæ & temporis circumſtantias adhibenda cenſuerit.

Quomodo, qui rarò, ſed recte confitentur. Qui rariùs confitentur, ſed rectè ac diligenter ſe diſcuſſiſſe videntur, non eſt quòd interrogationibus moleſtentur, niſi aliquid omiſiſſe, aut obſcurius dixiſſe, aut ad emendationem vitæ, vel profectum ſpiritualem quid intelligi oportere videatur: tunc enim quod ſatis ad hoc fuerit non amplius interrogare oportet. Sic etiam qui dolorem ſufficientem, & propoſitum abſtinendi à peccatis ſuis

tis ſuis

tis ſuis præ ſe tulerint, eaq; cofitendo ſatis aggrauauerint, non eſt quod multis confeſſarius ad dolorem excitet, & ad deteſtationem & euitationem eorum exhortetur: ſed potiùs his breuiter tactis, quaſi approbando quod meritò ipſe ſentit de ſuis peccatis (quibuſdam præcipuè grauioribus) veniæ ſpe confirmata, & ſi opus fuerit conſolatione adhibita, ad conſilia in futurum, & remedia ſe conferat. Quod ſi aliquo modo, ſed non ſufficienter deteſtari viderentur ſua peccata, nec tam firmũ propoſitum abſtinendi, quàm par eſſet oſtenderent, ex his quæ inferius ſequentur, habita ratione perſonarum, juuandi erunt. Iam ſequitur de Abſolutione, quæ huius Sacramenti forma eſt; quia tamen in ordine executionis præcedunt, quæ ad finem Sacramenti conferunt, de his priùs dicetur.

Quid cũ non ſufficienter contritis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE FINE HVIVS SACRAMENTI.

CAPVT III.

Triplex fructus Sacramenti pœnitentiæ.

TRIPLEX huius Sacramenti fructus eſt. Primus reconciliari DEO per gratiam, qua remittuntur peccata; huic coniungitur pax & conſolatio ſpiritualis. Alter vitæ emendatio in futurum. Tertius augmentum gratiæ & virtutum. Primum (qui huius Sacramenti proprius effectus & finis eſt) aſſequitur pœnitens per act⁹ iam dictos, contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis, adhibita abſolutione, quæ per virtutem ſanguinis Chriſti, ipſorum complet imperfectionem. Ad ſecundum & tertiũ diſponitur & iuuatur plurimum per cõfeſſarij conſilia, inſtructionem, & exhortationem: quæ tamen accommodari debent ad captum confitentis.

Quomodo iuuetur pœnitens à confeſſario ad emendationem vitæ.

Quibus adiuuetur pœnitens ne peccet.

AD emendationem ergo vitæ, curet pœnitentem armari contra defectus ſuos, firma voluntate, & ſæpè renouata

nata, non offendendi Deum, ac ei verè
ſeruiendi, & promptitudine occurrendi
prauis cogitationibus, vnde reliqua ma-
la oriuntur: quod fiet, reprehendendo
ſeipſum, Deum præſentem recordando,
recurrendo ad Angelum cuſtodem, ad
ſanctos, & præcipuè ad Chriſtum cruci-
fixum, & matrem circa crucem (in qui-
bus videbit, quàm teneatur reſiſtere pec-
catis illis, quæ ſic in ſeipſo punit Chri-
ſtus) dicendo aliquem oportunum verſi-
culum, aut verbum: vt Deus in adiuto-
rium meum intende, Cor mundum crea
in me Deus, Ieſus, Maria, &c Iuuat et-
iam memoria beneficiorum Dei, & pœ-
narum, quibus, peccator ſit obnoxius, &
mortis, cuius aduentus hora tam eſt in-
certa, & judicij Dei, qui teſtis & pars fu-
turus eſt. Iuuat ſi peccatum aliquod ac-
cideret ſtatim pœnitere, & aliquam ſibi
pœnam propter id infligere, & ſuo tem-
pore confiteri proponere: alioqui vnum
peccatum, ſuo pondere in aliud peſſun-
daret Iuuat eleemoſyna, bona ſocietas,
& euitatio praua. Tria præcipuè ferè o- *Tria pœnitenti proponenda.*
mnibus poſſent ſalubriter proponi.

Primùm eſt, manè ſe totos offerre
Deo, cum memoria Ieſu Chriſti obla-
ti pro nobis in cruce, petendo gratiam,

in eo die nos labi ſinat, præcipuè in ea peccata, ad quæ ſumus procliuiores, dicendo Pater, & Aue, & Credo, &c.

Secundum eſt, aliquantum temporis quietè ſe colligendo (quod noctu ante ſomnum oportunè fieri ſolet) examinare ſeipſum quotidie conſiderando beneficia accepta à Deo, & mala reddita: petendo veniam, & proponendo emendationem, dicendo etiam Pater & Aue, & Credo, Salue, & (ſi placet) Pſalmum. Qui habitat.

Tertium, crebrò confiteri ſacramentaliter, quod multorum remediorum inſtar, alia pleraque complectitur. Ex his quæ proponi debeant pœnitenti, diſcretio Confeſſarij dictabit. Quædam autem quæ videntur magis oportuna, magis inculcanda ſunt, vt in memoria retineantur. Et ſi promptitudo voluntatis ad conſilium capiendum in aliquo cerneretur, ſed obliuio timeretur, dici poſſet, vt ſcriberet, vel rediret tempore magis vacuo, vt id dictatum acciperet.

Quæ proponenda ſimplicioribus.

Simplicioribus, pauca & faciliora ad intelligendum, retinendum, & exercendum proponantur. Vt manè, ter dicere Pater & Aue, contra malas cogitationes, verba & opera, & ſemel Symbolum Apoſto-

Apoſtolorum : quod ſi neſciunt, reprehendendi ſunt, & exhortandi, vt diſcant. Noctu totidem aut plura, gratias agendo de beneficijs, & petendo veniam & cuſtodiam, propoſita emendatione. Et monendi ſunt, ne in corde conſentiant malis cogitationibus, & etiam vt crebrò confiteantur.

Peccatorum radices reſcindendæ.

Quia tamen ferè accidit, vt peccata multa vnam, vel certè paucas habeant radices, diligenter ex effectibus obſeruet eas confeſſarius & ſecurim admoueat propriorum remediorum (de quibus infrà) excitet maximè pœnitentem ad conflictum cum vno vel duobus defectibus (ex quibus ferè alij ducunt originem) per renouationem propoſiti & examen particulare quotidianum ad eum applicatum, & alia remedia, quæ magno & perſeueranti animo ſunt exercenda.

Remedia contra recidiuum.

Contra recidiuum, narrat Gerſon Cancellarius, hoc remedio vſum fuiſſe doctorem quendam, vt ſcilicet, quinque ad tempus iniungeret habito conſenſu. *Pri[mum.]* Primum, vt quandocunq; accideret tale peccatum, ille cui accidit, teneretur ieiunare die ſequenti in pane & aqua. *Secundum.* Secundum, vt certum numerum Pſalmorum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Tertiū. morum diceret Tertium, vt aliquid ſibi charum, vel certè pecuniam daret, *Quartū.* iuxta facultatem. Quartum, vt teneretur intra triduum poſt peccatum confiteri. Imminentis enim huius pœnitentiæ timor, fragilem voluntatem iuuare *[Qui]ntū.* poſſet & à peccato retardare. Quintum erat, & licet ſuccumbens tentationi, cōſentiret peccato, aliquas orationes tamen priùs diceret genibus flexis, ſi fortè miſereretur Deus. Hæc autem remedia non tantùm vt vtilia proponat Confeſſarius: ſed nitatur pœnitentibus perſuadere; cogere enim nec poteſt, nec expedit. Ille idem Doctor in grauibus, primò in lapſu, tolerabilem iniungebat pœnitentiam: ſed in memoriam habitæ gratiæ, aliquid leue, ut Pater, & Aue, vel aliquid ſimile, quod quotidie diceret, iniungebat, ita vt poſſet reficere quouis die, quæ alio omiſiſſet.

Contra recidiuum peccati grauioris.

A pueris etiam exigebat promiſſionem, non tamen iuramentū nec votum, vt cauerent à quibuſdam, prohibens ſeriò ne aliis fierent prima occaſio peccati, & ne tranſirent in ſpeciem grauiorem, & ſuadens ne fugerent bonos confeſſarios piam conuerſationem, & lectionem, &c.

A pueris quæ exigenda.

Quomo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quomodo iuuetur pœnitens à Confeſſario ad gratiæ augmentum.

TERTIVS ſacramenti huius fructus ac finis eſt, augmentum gratiæ & virtutum: ad quod diſponit confeſſarius inſtruendo, & exhortando. *Quomodo diſponendus pœnitēs ad gratiæ augmentum.*

Primò, ad bonum vſum gratiæ acceptæ tuendo ſollicitè omnimodam puritatem, inſiſtendo bonis operibus pro talenti accepti ratione, & iis præcipuè, quæ charitate in Deum & proximum commendantur: gratum etiam ſe exhibendo bonorum omnium auctori, per memoriam beneficiorum, & gratiarum actionem, & laudem. *Primò.*

Secundò, vt ſe idoneos, & quaſi vaſa capacia, ad novam gratiam percipiendam conſtituant: Rectitudine intentionis, qua omnia bona, & perfectionem ipſam ſuam, non propter ſe tantum optent, ſed ad proximorum auxilium & Dei honorem referant: Latitudine deſiderij vehementis, continui, vnici, inſatiabilis, efficacis, ad vtendum mediis omnibus, quæ ad gratiæ incrementum diſponunt: Profunditate humilitatis, ſemper quod ſibi deeſt intuendo, ſibi omninò diffidendo. & omnem amorem proprium abnegando. *Secundò.*

Tertiò

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Tertiò, Quæ ad gratiam aſſequẽdam cõferant. Tertiò, vt ea inſtrumenta benè exerceant, quibus aquam gratiæ, intellectus & affectus noſter haurire ſolet: talia ſunt lectio, auditio verbi Dei, meditatio, oratio (maximè mentalis) & vſus Sacramentorum, confeſſionis & communionis.

Quartò. Quartò, Fontes ipſi, vnde haurire gratiam oportet, oſtendendi ſunt pœnitentibus: ac primò quidẽ, excitanda eſt eorum deuotio ad angelos & ſanctos, præcipuè ad matrem gratiæ Mariam: deinde exhortandi omnes ſunt ad quærendas & implorandas orationes ſeruorum Dei qui adhuc viuunt, & vt bonorum operum ipſorum participes fieri ſtudeant.

Sed quia vberior eſt ſecundus fons Chriſti mediatoris, admonendi ſunt, vt ab eo frequentiſſimè hauriant, ipſum intuendo; vt qui vult, & poteſt augere gratiam omnem: imò ad id inuitat, dicendo, Perfecti eſtote, &c.

Vberrimus verò omnium eſt tertius *Matth.5* fons, vnde ad alios aqua gratiæ deriuatur: ſcilicet, Diuina opulentia, bonitas, amor, & cætera, quæ ſpem excitant in Deum.

Quia tamen (vt ſæpè monere oportet) non omnes omnium capaces ſunt, *Matth.1* prudens confeſſarius videat, vt propor-

tionata

tionata cuiuſque diſpoſitioni vel captui proponat, ad gratiæ augmentum.

Non omnibus omnia ſed captus pœnitentiũ ratio habenda.

Et quidem modo prædicto in quouis ſtatu fideles iuuari poſſunt. Iam licet dubium non ſit, quin ſtatus conſiliorum ſit aptior ad gratiæ augmentum, quàm præceptorum (vnde dicitur ſtatus perfectionis) in ijs qui ad eum vocantur: non tamen expedit pœnitentes ſtatim ad id ſtimulare ne idoneos quidem: quia multi eò magis refugiunt, quò magis ſibi perſuaderi id ſentiunt.

Status conſiliorum aptiſſimus ad gratiam impetrãdam.

Securum eſt tamen huiuſmodi homines ad perfectiora, & ſaluti viciniora (vt paulò ante dictum eſt) trahere; & cum dexteritate de inſpirationibus Dei interrogare, circa perfectiorem ſtatum vitæ aſſumendum: & ſi ſentiunt in ſe aliquas, ne ſurdi ſint ad vocationem Domini: ſi verò non, vt ſe paratos offerant Deo ad omnia, quæ ipſi gratiſſima futura ſint: & ſi commodè fieri poſſet, ad exercitia ſpiritualia eſſent inducendi; vel prout eſſent diſpoſiti ad optima quæque impellendi. Si tamen animaduertat Sacerdos confitentem ſic diſpoſitum, vt expedire judicet, ad conſiliorum viam eum inducere, occaſionem elabi de manibus non ſinat; vel ad colloquium

Dexteritas in conſiliorum ſtatu pœnitenti imponendo.

loquium extra confeſſionem inuitet. Et hæc de fine Sacramenti confeſſionis dicta ſint. Iam de abſolutione pauca & extremo tandem loco dicere oportebit.

DE CONFESSARII CVRA CIRCA ABSOLVTIONEM.

CAPVT IV.

Abſolutionis forma.

IVXTA Conſilium Florentinum, forma abſolutionis (vt dictum eſt) conſiſtit in his verbis: Ego te abſoluo vel (quod idem eſt) te abſoluo, &c. Reliqua ſunt de decentia, iam impoſitio manus ſuper caput, quam verba ante, & poſt abſolutionem vſitata, ſed omitti non debent.

In reconciliationibus breuibus, ſatis eſt dicere: Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat: & ego auctoritate ipſius mihi licet indigno conceſſa, abſoluo te in primis, ab omni vinculo ex communicationis, ſuſpenſionis & interdicti in quantum poſſum, & indiges: Deinde ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis in no-

Nota.

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. De ſuſpenſione non eſt facienda mentio, cùm pœnitens nullum ordinem habet

In confeſſionibus plenioribus, poſtquàm dixerit pœnitẽs: Ideo precor beatiſſimam Virginem Mariam, &c. & te patrem orare pro me, & peto abſolutionem, & pœnitentiam: dictis quæ dicenda indicauerit, & iniuncta pœnitentia Sacerdos dicet: Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Deinde manum ſuper caput pœnitentis eleuans dicet: Dominus noſter, &c. vſque Ego te abſoluo &c. In nomine patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Deinde manum remouens ſubdet. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ ſemper virginis, & omnium Sanctorum, quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſit tibi in remiſſionem peccatorum in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.

Conditio de futuro, in abſolutione vitãda.

Non eſt addenda vlla conditio de futuro in abſolutione, qualis eſſet. Si reſtitueris, vel ſi pœnitentiam egeris, ego te abſoluo: Credere enim oportet pœnitẽti, qui dicit ſe id velle: ſed poſſet dice

re qui

Nota.

re qui dubitat an dederit abſolutionem, Si non es abſolutus, ego te abſoluo: Non enim bis eadem in confeſſione debet de eiſdem dari abſolutio, licet poſſit reiterari, quoties quis confitetur.

De ijſdē non poteſt bis eadem dari abſolutio.

Præterea quamuis non conſtet quòd incurrerit, debet ad cautelam præmitti abſolutio excommunicationis, &c. abſolutioni peccatorum. Quòd ſi etiam in irregularitatem quis incidit, aut incidiſſe dubitatur (ſuper qua confeſſarius habet auctoritatem diſpenſandi) ſic dicere poteſt: Abſoluo te imprimis ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum & indiges, & diſpenſo tecum ſuper irregularitate, ſi quam incurriſti, vel quam incurriſti, propter hoc & illud, & habilito te ad actus legitimos: deinde te abſoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Abſolutio ab excommunicatione, abſolutioni peccatorum præmittenda.

Quid cū in irregularitatem Pœnitēs incidit.

Illis qui ob jus tertij violatum, vel propter notoriam offenſam excommunicati ſunt, criminoſis etiam hominibus, vt incendiarijs, mutilantibus, manifeſtis raptoribus, vel violatoribus Eccleſiarum, manifeſtis vſurarijs, & ſacrilegis, non debet abſolutio dari, niſi ſatisfaciant parti, vel dent cautionem pignora-

Quibus in caſibus non ſit abſoluendus pœnitēs ab excō-

pignora-

pignoratitiam vel fideiuſſoriam: hoc ſi præſtare nequeant, jurent ſaltem, ſe cùm primùm poſſint ſatisfacturos. In magnis autem criminibus, qualia ſunt eorum, qui excommunicantur ob offenſam notoriam, & incendiariorum, etiam peti debet juramentum de non committendis ijs, propter quæ incurrunt excommunicationem, & de ſtando mandatis Eccleſiæ.

muniat: niſi ſatisfaciat: aut cautionem præſtet aut juramẽto ſe obſtringat.

Si quis fuerit per judicem excommunicatus & denunciatus, remittendus eſt ad eum, vt abſoluatur in foro exteriori: quamuis in foro conſcientiæ poſſit abſolui per aliquem habentem facultates, quæ nonnullis in religionibus ſunt conceſſæ, cum ſatisfactione vel conſenſu partis: quod ſi pars contradicat, qui paratus eſt facere, quod in ipſo eſt, abſolui poteſt in hoc foro conſcientiæ.

Abſoluendus pœnitens in foro exteriori, prius ab excommuni. quam interiori.

Cùm neceſſitas extrema vrget, id eſt, cùm mors ferè ſolet accidere, quiuis Sacerdos ab omnibus peccatis & cenſuris poteſt quemuis abſoluere; ſed ſi periculum euaſerit pœnitens, præſentare ſe debet ei, qui ſuperior eſt, propter cenſuras, non tamen iterare confeſſionem.

In mortis articulo quiuis ſacerdos poteſt abſoluere.

In excommunicationibus publicis,

In publ.

varum ex communicationum abſolutione quæ ſeruanda. cum ſolemnis danda eſt abſolutio, ſeruari debent, quæ de ea dicuntur. Mortui etiam abſolui poſſunt ab excommunicatione; quod valet, vt quis ſepeliatur in loco ſacro, & pro eo orationes fiant, &c. Et hæc de abſolutione, quæ forma & complementum eſt huius Sacramenti, ſufficiant.

Mortui poſſunt ab excommunicatione abſolui.

IN APPENDICES DIRECTORII PRÆfatio.

CVM ſuperius de diſcuſſione pœnitentis, ac deinde, de vitæ emendatione iuuanda, ageretur; de interrogatorio, & de propriis remediis peccatorum, aliquid promiſſum eſt, quod jam præſtare oportebit. Et quia interea, quæ ad ſatisfationem pertinent, vel in primis reſtitutio neceſſaria eſt, quædam etiam de illa, vt memoriæ minus exercitatorum conſulatur, adijciemus. Poſtremo de vinculis, vel cenſuris eccleſiaſticis, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ceſſationis à di-

Quadruplex eorum quæ ſequuntur propoſitio.

à diuinis, ac nota irregularitatis, quod confeſſario ſatis eſſe videbitur breuiter perſtringemus.

Interrogatorium.

DVplex ſubditur interrogatorium: alterum eſt paulò fuſius, ad eorum præcipuè confeſſiones accommodatum, qui opera confeſſarij magis egent, vt cognoſcant vel redigant in memoriam ſua peccata: & quia connexa ſunt valde, quæ in octauo, nono, & decimo præcepto præcipiuntur, cum iis, quæ in quinto, ſexto & ſeptimo, ad ſeptem prima præcepta, interrogatorium reſtringitur (ad quæ bona ex parte, etiam reliqua peccata reducuntur) cauſa breuitatis, & ordinis: vt Primò, de cogitationibus. Secundò, de verbis. Tertiò de operibus. Quartò de omiſſionibus interrogatio fiat, circa præcepta. Quia tamen aliqua ex ſeptem peccatis capitalibus, non videbantur tam facilè ad ſeptem præcepta reduci, eorum tria ſeorſum tractantur: quædam deinde, ad certos ſtatus hominum accommodata ſubduntur: non tamen omnia peccata, ſed quæ in confeſſionibus ferè locum habent, perſequimur.

Ordò in interrogando ſeruandus.

Circa

Circa primum præceptum : Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Circa cogitationes.

Circa fidem. PRIMÒ interroget de ijs, quæ circa fidem accidunt: vbi peccat, qui non credit, vt infidelis, hæreticus, dubius in fide, qui curioſè ſcrutatur, & diſputat de articulis fidei, tanquam qui velit ſolum credere, quod ratione probatur: qui non ſentit de Deo, & de diuinis piè, vt debet.

Circa ſpem. Deinde de ijs, quæ contra ſpem. Hic peccat qui deſperat de conſequenda beatitudine, vel medijs ad eam, ſcilicet de venia peccatorum, de emendatione vitæ, & virtute conſequenda, & exercenda in bonis operibus: & vice verſa, qui ſine pœnitentia veniam conſequi præſumit, vel differt in ſenectutem aut mortem, emendationem.

Circa charitatem. Demùm de ijs quæ contra charitatem: vbi peccat qui nimium afficitur ad temporalia: q timore mundano Deum offendere, vel non ei ſeruire ſtatuit: qui non recta intentione ſeruit Deo, ſed propter præmium, aut timorem, aut laudem humanam, vt vltimum finem, ſine quo non ei ſeruiret: qui horrorem quendam habet, aut odium ad diuina.

Circa verba.

Progrediendo ad verba, peccat qui negauit fidem verbo, aut ſigno, quamuis non mente: qui blaſphemauit Deum vel Sanctos, aut cum injuria membra eorum indicenter nominauit: qui falſum aliquid inſeruit in cultu eccleſiaſtico, vel ei adiunxit turpes cantilenas, verbo vel organo: qui inuocauit Dæmones explicitè, vel implicitè, vel habuit pactum aut familiaritatem cum eis. Qui nurmurat contra Deum, quia non concedit, quæ vellet, vt ſanitatem, &c. quaſi on juſtè, vel quaſi crudeliter cum ipſo gat.

Circa opera.

Qui adorauit aliud quam Deū latria. uc pertinet ſi ad Iudæorum, vel infideum cæremonias redijt: ſi fecit incantaones, aut diuinationes ſuperſtitioſè, er aſtra, ſomnia, auguria, vel ſortes: ſi abet ſecum ſcriptas orationes ſuperſtioſas, quod aduertitur ex characteriis, & obſeruatione varia numerorum, temporum, & huiuſmodi: qui Deum entauit, miracula expetendo, cùm non nt neceſſaria, neglecto præſidio ſecundarum

Verbo peccatur primo Apoſtaſia, Secundò blaſphemia. Tertiò falſa vel prophana ſacris immiſcendo. Quartò dæmones inuocando. Quintò murmuratione cōtra Deum. Idololatria. Incantaones & ſortileg. Orationes ſuperſtitioſæ, Tentare Deū.

Ingratū ſe Deo præbere.

darum cauſarum , quibus juuari poſſit qui malè & ingratè vtitur donis Dei Deum offendendo.

Circa omiſſionem.

Diuini cultus, vel orationis omiſsio.

Qui timore obloquutorum, &c. omittit debitum Dei cultum : qui non orat nec alia facit, ad honorem Dei neceſſaria : qui neſcit neceſſaria ad ſalutem, & profectū; vt decem præcepta legis, quinque Eccleſiæ, Credo, Pater noſter, &c.

Circa ſecundum. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Circa verba.

Juramentum aſſertoriū.

PEccat, qui in juramento aſſertorio per Deum, Sanctos, fidem Dei, &c. ſcienter affirmat falſum : vel dubitans an ſit falſum , certè neſciens eſſe verum, quod jurat: qui in promiſſorio jurat, nō intendens ſeruare: qui jurauit facere, quod peccatum eſt ; vel non facere, quod bonum : qui jurauit temerè, irreuerenter, per jocum & demum ſine cauſa: qui vouit rem illicitam, vel licitam, ſed propter malum finem.

Juramentum promiſſorium.

Juramentum temerarium, & ſine cauſa. Vot.

Circa omiſſiones.

Qui quod juramento promiſit, ſua cul-

culpa non adimpleuit: qui non ſatisfecit voto cui tenetur.

Promiſſorũ vel votorũ tranſgreſſio.

Circa tertium, Memento vt diem Sabbati ſanctifices: ſub quo ferè præcepta Eccleſiæ.

Feſtorũ violatio.

Circa opera.

PRæterquam quod omne peccatum, in feſtis commiſſum, grauius efficitur: contra hoc præceptum propriè peccat, ſi violauit feſta, per opera ſeruilia, vel prohibita ab Eccleſia, vel id fieri mandauit; Si Sacramenta malè percepit vel adminiſtrauit, ſcilicet in peccato mortali, vel excomunicatione: ſi abuſus eſt ſacramentis, vel rebus ſacramentalibus: ſi excommunicatus ingeſſit ſe diuinis; ſi cum excommunicatis participauit extra caſus conceſſos: ſi ſuſpenſus, aut irregularis, aut interdictus, ingeſſit ſe prohibitis: ſi violauit Eccleſiam, vel cœmiterium, ſemine, vel ſanguine: ſi immunitatem loci Eccleſiaſtici, per ſacrilegium, vel violentiam aliquem inde trahendo, vel prohibita ibi exercendo: ſi fecit injuriam reliquijs, vel imaginib' ſanctorum, vel irreuerenter ſeſe habuit ad res ſacras: ſi percuſſit, aut vim in-

Sacramentorũ mala perceptio, vel adminiſtratio. Sacramentorum, abuſus. Excommunicatio. Suſpenſio Eccleſiarũ & ipſorum immunitatis violatio.

Rerum ſacrarũ irreuerentia. Perſonarum Eccleſiaſticarũ percuſſio & vectigaliũ exactio. Miſſa ieiunium. Decimæ Confirmatio. Confeſſio. Communicatio. Prædicatio. Officium. Peruerſa deſideria. Amor inordinatus.

tulit, vel vectigalia, & prohibita exegit à perſonis Eccleſiaſticis: ſi peccatum carnis, poſt votum caſtitatis, vel ordinem ſacrum commiſit.

Circa omiſſiones.

Si ſacrificium Miſſæ ſine rationabili causa omiſit, vel irreuerenter audiuit, confabulando, aut aliquid non honeſtè agendo. Si non jeiunauit, cùm teneretur, aut cibis vetitis vſus eſt: ſi decimas debitas non ſoluit: ſi ſacramentum confirmationis neglexit pro ſe aut pro ſuis; ſi non eſt confeſſus debito tempore, & modo, pręcipuè ſi in ijs deficiat, propter quæ eſt iteranda confeſſio: ſi non communicauit, aut non benè, id eſt, in peccato mortali, vel non jeiunus: ſi neglexit ire ad prædicationes: ſi non dixit officium ad quod tenebatur, vel vagabatur mente ex propoſito illud dicens, vel ſic occupabat ſe, vt non poſſet attendere, vel non expreſſit integrè dictiones.

Circa quartum: Honora patrem tuum, &c. Circa cogitationes.

PRIMÒ, qui parentum mortem aut ſuperiorum optat, ob hæreditatem, vel quamuis aliam cauſam, qui nimio amore ad parentes afficitur: qui impa-

tiens

tiens eſt, & indignabundus, vel irreue- rens cum eis. *Parentũ irreuerẽtia.*

Circa verba.

Qui duris verbis eos offendunt præ- ſentes, vel eis detrahunt abſentibus.

Circa opera.

Qui eoſdem parentes, & ſuperiores, aut coniugem, aut liberos, aut familiam malè tractauit: qui malè ſubditis impe- rat, & eos malè gubernat.

Circa omiſſiones.

Qui parentes non honorauit, vel eis non ſubuenit in neceſſitatibus; qui eorũ conſolationem negligunt, aut viuentiũ & mortuorum ſuffragia, vel non explent vltimam eorum, à quibus hæredes relin- quuntur, voluntatem in teſtamentis ex- preſſam. Similiter de iunctis ſanguine, patria, ac beneuolis: qui prælatis, princi- pibus, dominis temporalibus, & in di- gnitate conſtitutis, non præſtant obſer- uantiam, & ſubjectionem quam debent: qui ex contemptu, vel in rebus maioris momenti non obediunt quibus debent Si ſtatutis, & legibus, quibus ſubjacebat, non obtemperauit; immò rebellis fuit. Hic de ingratitudine, contemnendo, vel non agnoſcendo, vel obliuiſcendo be-

Parentũ inhonoratio. *Teſtamentorum transgreſſio.* *Superiorum obſeruantia, inobedientia.* *Ingratitudo.*

neficium, vel benefactorem, vel habendo animum retribuendi, vel reddendo malum pro bono: Qui non tolerauit infirmitatem proximorum.

Compaſſio. Superflua retinẽs.

Hîc & de inhumanitate, in pauperes, ſi habens ſuperflua ad decentiam ſtatus, non ſubleuauit eorum inopiam, vel conſtitutis in extrema neceſſitate non ſubuenit; ſi ſuperflua ad neceſſitatem naturæ, licet nõ ad decentiam ſtatus ei ſuperabant.

Circa quintum, Non occides, ſub quo octauum quibus nocumentum in perſonam & famam proximi prohibetur.

Circa cogitationes.

Odium. Ira aut ad alios. Inuidia. Peruerſa voluntas. Iudicium temerarium.

INterroget primò de odio, quo mortem, vulnera, inſtantiam, &c. aliorum deſiderauit: deinde de ira & impatientia, qua mouetur erga alios optando vindictam, &c. de inuidia qua gaudet de malo alterius, dolet de bono, ægrè fert aliorum laudem: de voluntate mala quacunque ex cauſa, qua deliberatè aliorum malum, in anima, corpore vel honore voluit, & cętera. de judicio temerario quo damnat facta vel dicta, vel animum alterius, & de ſuſpitionibus ſine

ratione,

ſatione, & de interpretatione peiorem *Suſpitio-*
in partem: de ira in ſeipſum, & ſuæ mor- *nes.*
tis deſiderio, ex mala cauſa. *Ira, quò ad ſe.*

De verbis.

PRogrediendo, vlterius, interroga de *Peruer-*
verbis ad malum proximo tendenti- *ſum con*
bus: vt de conſilio vel exhortatione ad *ſiliū &*
malum aliquod inferendum proximis. *horta-*
De mendacijs in judicio, tam teſtis, ſi *tio.*
falſum teſtimonium dixit, quàm accuſa- *Menda-*
toris, ſi calumniatus eſt, vel judicis, *cia in ju*
rei, aduocati, procuratoris, ſi mentiti *dicio.*
ſunt in aliquo loquendo, vel tacendo ve-
rum, vel ſophiſticè non ad mentem judi-
cis dicendo. De mendacijs etiam extra *Menda-*
judicium in damnum animæ vel corpo- *cium ex*
ris, vel famæ; quæ pernitioſa dicuntur. *tra judi-*
Hîc de detractione aliorum, dicendo vel *cium.*
ex parte, vel ſine neceſſitate, præcipuè ſi
cum intentione infamiæ inferendę, vel ſi
res grauiſſimè aſſeruntur. Præterea de *Aliorū*
contumelia, litibus, irriſionibus, ma- *detra-*
ledictionibus vel malis imprecationi- *ctio. Con*
bus & ſuſurrationibus, quibus odium *tume-*
vel inimicitia hujus in illum excitatur, *lia, &c.*
vel alitur: de clamore, exprobratio-
ne defectuum, minis. Adde his, ali-
quem laudare de opere, quod peccatum

Detractio ſui.

eſt, vel id approbare, quòd adulatorum eſt. Adde detractationem ſui, nocendo famæ propriæ ſine cauſa rationi conſentanea.

Circa opera.

Cædes percuſſio, &c. Periculum ſuffocationis. Abortus Inimicitiarũ fomentũ, Bellum iniuſtum, Simultates & rixæ. Inſontium punitio. Scandalum. Alios ad malum iuuare.

PEte de occiſione, vulnere, percuſſione, vinculis, tormentis, exilio contra iuſtitiam; ſi tenuit infantem in lecto cum periculo ſuffocationis: ſi procurauit ſterilitatem, vel abortum ante viuificatum fœtum, vel poſt: ſi conciliauit vel fouit inimicitias; ſi fecit vel iuit ad bellum injuſtum, ſcienter, vel ad id, de cuius æquitate non conſtabat, ſua ſponte, non adactus ſuperioris mandato excuſante. Hîc de ſimultatibus, rixis, ſeditionibus. Præterea de punitione inſontis, grauius aut leuius quàm meretur, vel malo animo, vel contra legum diſpoſitionem. Huc reducitur peccatum quo quis exemplo præbet ſcandalum; comitatur, vel juuat alios ad mala, bonorum mores corrumpit trahendo ad diſſolutionem, vel impediendo eorum bona, reuocando ab his quæ ſunt pietatis, per irriſiones; quique doctrinam peruerſam docet, & demum qui ad quoduis peccatum alios inducit, & etiam quo

quis

Mortem ſibi conſciſcere, vel accelerare.

quis ſibi mortem accelerat, per crapulã, aut alia illicita, aut percutit ſeipſum ex ira, aut facit contra conſcientiam, quod putat vel de quo dubitat quod ſit peccatum, aut ſe peccandi periculis exponit.

Circa omiſſiones.

Cùm non adiuuant aliquem in periculis animæ aut corporis ſi poſſunt; cùm non defendunt famam proximi injuſtè diffamati; cùm nolunt reconciliari his, quos offenderunt, veniam petendo, vel poſcentibus veniam condonare, & remittere offenſionem ex animo recuſent: imò ſubtrahunt communia beneficia: cùm delinquentes non admonent & corripiunt vt oportet, præſertim ſi eis ex officio incumbit.

Alios in periculis non adiuuare. Veniam petere, vel petentibus condonare, Delinquentes non corripere.

Circa ſextum, Non mœchaberis; ad quod refertur nonum, Non concupiſces vxorem proximi tui.

Circa cogitationes.

DE cogitationibus venereorum, & deſiderijs moroſis præcipuè, ſi cum deliberatione, in omnibus modis libidinis mox attingendis.

In cogitationibus.

Circa verba.

De progreſſu eorum ad verba inhoneſtè dicta, vel audita, ad hunc finem, vel quouis modo. Hic de literis, aut nuncijs, &c.

Circa opera.

Inhoneſta. Demùm de opere, vt de aſpectibus inhoneſtis, nutibus, munuſculis, ornatu ad malum finem placendi ordinato; de a-

Coniugati de his quomodo interrogandi. ctibus ipſis inhoneſtis, vt oſculis, tactibus impudicis, de quibus agens cum conjugatis illud duntaxat inquire, an his tactibus periculo pollutionis ſe exposuerint, cæteros admonebis, mortale in eis peccatum admitti. Demum inqui-

In peccatis carnis perſonarum circunſtantiæ obſeruandæ. re de peccato carnis conſummato, cum ſolutis, vel conjugatis, vel conſanguineis, & affinibus, vel conſecratis ordine, aut voto, aut poſtquam ipſe ordine aut voto caſtitatis ſe deuinxit, vel contra naturæ ordinem per mollitiem in ſeipſo,

Contra naturã. vel per nefanda peccata cum alijs.

Circa omißiones.

Debitũ coniugale. Omiſſione verò peccatur, non reddendo debitum coniugi, ſe non armanda contra tentationes carnis, nec occaſiones remouendo eius peccati.

Occaſio.

Circa

Circa ſeptimum, non furaberis, cui adiungitur decimum, Non concupiſces rem proximi.

Circa cogitationes.

AFfectus habendi inſatiabilis; ſollicitudo inquieta in acquirendis rebus temporalibus: cupiditas bonorum eccleſiaſticorum vel aliorum etiam per vias non licitas: voluntas inordinata accipiendi, vel retinendi aliena.

Praua & inſatiabilis rerum temporalium & eccleſiaſticarũ cupido.

Circa verba.

Hinc fit progreſſus ad verba, & peccatur per mendacia in judicio, & extra, ad damnum proximi in rebus pertinentia, & per quæuis alia verba quæ ad hoc faciunt.

Mendacia in judicio & extra, contra proximum.

Circa opera.

Si furatus eſt, & quantum: ſi injuſtè acquiſiuit, vt per ſimoniam, vel ex naufragio, vel per fraudem in emendo vel vendendo: circa rem aut eius ſubſtantiam, aut qualitatem aut quantitatem, aut precium: ſi contractus vſurarios, vel ſocietates & cambia non juſtè exercuit: ſi rapuit per vim aliena, vel ſua à quieto poſſeſſore, cùm aliter recuperare poſſet: ſi vſus eſt adulterinâ monetâ, licet ab

Furtũ. Fraus.

Inuenta quæ re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtituen-da. alijs deceptus: ſi inuenta non reſtituit, quæ non habentur pro derelictis: ſi fraude in luſu vſus eſt: ſi damnum intulit rebus proximi: ſi vſurpauit bonum commune: ſi impoſuit, vel exegit vectigalia indebitè: ſi alijs operam ſuam locando, fideliter non operatur: ſi vt egenus mendicauit, cùm non egeret. Adde profuſionem, vel prodigalitatem, quæ extremum alterum, auaritiæ contrarium eſt.

Fraus in ludo.

Non egenus mendicans.

Circa omiſſiones.

Hic de tenacitate, theſaurizando quod alijs communicatum oportuit, vt ſi poſſideatur potiùs quàm poſſideat bona & ſi non reſtituat quæ debet.

De ſuperbia.

Circa cogitationes.

PEccat, qui exiſtimauit bonum quod habet, ex ſe habere, vel à Deo quidẽ, ſed proprijs meritis: qui vel arrogat ſibi quod non habet, aut amplius quam habet: ſi alijs deſpectis ſingularis voluit apparere: ſi ægrè tulit reprehenſionem, nec fateri voluit culpam quam fateri tenebatur. Adde præſumptionem, obſtinationem, impœnitentiam, curioſitatem in addiſcendis quæ non oportet; nolle ſubijcere ſuum judicium ſuperio-

Diuitiarum affectus.

Propria ſui ipſius exiſtimatio.

ri: ni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ri : nimis efferri proſperis, nimis virtuti ſuę confidere, ac proinde pericula peccandi non timere

Circa verba.

Si pertinax, ſi impugnator veritatis fuit : ſi gloriatur non vt oportet, præcipuè de peccato, defendit ſuos errores, vel excuſat ; adde iactantiam.

Circa opera.

De ambitione, quærendo honores, & prælationes, &c. vſurpando in locis vel ſedibus honorem, qui non eis conuenit: excedendo in veſtimẽtis, aut comitatu.

Ambitio in honorib. & prælationb. quærendis.

Circa omiſsiones.

Gratias agere de beneficijs contemnendo.

De Gula.

Quibus modis peccatur gula.

Si ſolliciti ſunt de præparatione, ſi ante tempus, ſi crebrò, ſi auidè, ſi multum, ſi nimia cum voluptate comedant, aut bibant.

De accedia.

Circa cogitationes.

Bonorũ operum faſtidiũ. Mors qua ratione appetenda.

Faſtidium bonorum operum, deiectio animi ex aduerſis, parui pẽdere in ſe dona Dei, cogitationes vagæ & otioſæ, præcipuè in orando, tædium præſentis vitæ non ex piis cauſis, ſed quòd non

ſuccedant ex voto omnia; nolle natum eſſe.

Circa verba.

De multis otioſè dictis.

Verba otioſa.

Circa opera.

Ob tempus malè contritum, vagis diſcurſibus, ludis, & otio.

Circa omiſsionem.

Puſillanimitas.

Ob puſillanimitatem, qua ex animi deiectione ſuam ſalutem, & media ad eam negligunt, qui malunt in miſeria manere, quàm laborare: qua ſe retrahunt à magnis operibus, quibus pares ſunt: qua famam bonam ſibi ereptam recuperare (quamuis contra Dei honorem, vel in aliorum incommodum id cedat) negligunt. Huc pertinet procraſtinatio & tarditas inchoandi emendationem, & bona opera: in conſummatio cœptorum bonorum operum; deſiſtere à propoſitis bonis: non excutere tentationes, & cetera.

Procraſtinatio acceptorum inconſummatio.

De aliis capitalibus ſatis dictum eſt in præceptis.

INTERROGATORIUM BREVIUS IN CARMEN redactum, memoriæ cauſa.

Circa

Circa primum præceptum.

Corde vel ore negas, errore aut ſchiſmate
ductus,
Anceps, blaſphemus, qui tentat, qui malè cul-
tor, *(pacta*
Quemque ſuperſtitio grauat, aut cum dæmone
Deſperans, malè confidens, mundique timore
Recta ſinens, propriæ ignorans præcepta ſalutis
Terrenis hærens nimiùm, ac diuina peroſus.

Circa ſecundum præceptum.

Qui violat promiſſa Deo, quiq; aſſerit audax
Iurando falſa aut temerè, quiq; improba vouit
Iurauitue, alios nec ad id traxiſſe veretur.

Circa tertium præceptum ſub quo præcepta Eccleſiæ.

Quicquam operor vetitum, miſſam & ieiu-
nia linquo. *(cris.*
Non perſoluo preces, vetitis me immiſceo ſa-
Cùm teneor non accedo, loca polluo ſacra.
Sacratas violo res, perſonamque profanus.

Circa quartum præceptum.

Non veneror, non morigeror, non adiuuo pa-
trem.
Coniunctoſue pius foueo, aut humanus egenos.
Cui teneor parere, & quem obſeruare recuſo.
Proque bonis ſæpè ingratus contraria reddo.

Circa quintum præceptum, ſub quo & octauum complectitur.

Ex odio mortem, vel corporis infero damna,
Quæro inimicitias, pugnas, iniuſtáque bella,
Inuideo, accuſo, falsè malè, detraho famæ.
Vindictam iratus meditor, conuitia, rixas.
Ad peccata alium induco, me ſponte periclis.
Offero, me cædo impatiens, mortemue peropto.

Circa ſextum præceptum, ſub quo nonum.

Extra coniugium Veneri qui cedit iniquæ,
Alterius violare thorum, qui mente paratus,
Qui loquitur laſciua, animo qui turpia verſat
Per viſus, nutus, tactus malè tendit adulter.
At ſcelus, inceſtum admittit cum ſanguine iuncta.
Cumque intacta viro ſtuprum, Chriſtoque dicatam
Sacrilegus violat, ſcelera his adiunge nefanda.

Circa ſeptimum præceptum, cui adiungitur decimum.

Rem cupio alterius, dānū fero, fraude, rapina,
Vſurpo, aut teneo, non ſum ſatiabilis, opto
Per fas atque nefas ditari: vſura maliq; qui
Cōtractus, & lucra placēt inhoneſta: propinquos
Mētior in damnū: malè ludo, ſumque profuſus.

De ſuperbia.

Non accepta Deo refero bona: vel mea certè
Ob merita accepiſſe reor: ſæpe arrogo, quæ in me
Non ſunt aut certè videor præcellere cunctis,
Ambitione tumens, verum impugnare paratus

Atque obſtinatus propriũ defendere ſenſum,
Nec ſolitus proprias vlla in re agnoſcere culpas
Iudicio, cõtemno, derideo resq; homineſq; (res,
Scire volo & facere aggredior superantia vi-
Peccandi haud timeo fretus virtute pericla.

De acedia.

Non bene ago, ſed & acta dolent, me adverſa repente,
Deijciunt, & dona Dei mihi tradita temno:
Virtutiſq; labor grauis eſt, magis otia pigrum
Delectant, refugit mens ardua: sæpè vagatur:
Spirituale bonum tædet curare: remiſſus
Ad bona quæ teneor, diuina exhorreo iuſſa.

De Gula.

Sollicitus paro lautitias, & tempus edendi
Præuenio, vetitis, crebrò cupidèq; nimiſque
Delector: ventri demum omnem defero cultũ.

De aliis capitalibus dictum in præceptis.

QVÆDAM DE STATIBUS VARIIS, & primò de dominiis temporalibus.

PRIMO de dominio iniuſtè quæſito. Secundò ſi exigunt collectas, vel vectigalia indebita, vel inſtituta propter aliquid, quod non ſit, vel propter ſecuritatem viarum, quæ non ſunt ſecuræ

Dominij iniuſta acquiſitio, vectigaliũ iniuſta exactio.

Tertiò

Officia quibus conferēda. Tertiò ſi dant officia his de quibus præſumitur quòd erunt inutiles, vel iniuſti. *Maleficiorum prohibitio.* Quartò ſi ſciunt maleficia, & poſſunt prohibere, & non prohibent. *Subditorum grauamen.* Quintò ſi nimis grauant ſubditos, rerum ac temporum conditione inſpecta. *Vſurpatio verũ communium, vel particularium.* Sextò, ſi vſurpant quæ ſunt communitatis, quæ cum fructibus tenentur. Sic de his quæ ſunt particularium viuorum vel mortuorum. *Seruitia indebite exacta.* Septimò, ſi ſervitia perſonarum vel iumētorum indebita exigunt. *Vſurarũ permiſſio iniuſta.* Octauò, ſi permittunt mala, vt vſuras, quas non oportuit. Nonò, ſi parte ius petente, tamen condonant offenſam, &c.

De Epiſcopis.

Prælaturam quando recuſando. PRIMÒ, renuere prælaturam iniunctam à ſuperiore per præceptum, ſi impedimentum vel ipſe vel prælatus poteſt remouere: nec requiritur vt ſciat ſe ſufficientem, ſed vt non conſtet de oppoſito. *Quid cùm animæ prælato commiſſæ non proficiunt.* Poteſt tamen petere abſolutionem ab officio, ſi videt animas commiſſas non proficere ſuo vel ipſarum defectu, vel per alium melius gubernari poſſe. Secundò, gregem deſerere perſonaliter, ſi videat quòd ſubditorum ſalus exi-

git

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

git paſtoris præſentiam, & alioqui non reſidere, præterquam in caſibus, & tempore à Concilio Tridentino expreſſis. Tertiò, non quærere defectus ſubditorũ vt corrigantur, quando fama, vel quod mouere meritò debeat ad eius aures venit. Quartò, dare authoritatem non Epiſcopis in iis quæ propriè pertinent ad officium epiſcopale, vt ordinare, chryſmare, &c. poteſt tamen committere quę pertinẽt ad dignitatem (præter inſignia) vt iudicare de clericis, & quæ ſunt iuriſdictionis. Quintò, conferre ordines indignis, & Eccleſiaſtica beneficia. Sextò, conſecrare non virgines vt virgines. Septimò, ſi non interſint diuino officio ſaltem dominicis diebus. Octauò, ſi non viſitant, non inquirunt, & provident vt debent. Nonò, ſi non inſtituant prædicatores in Eccleſia cathedrali potentes opere & ſermone, & alibi, vbi tenentur. Decimò, ſi nõ celebrant ſynodum omni anno, admonẽdo clericos, legendo cõſtitutiones, &c. Vndecimò ſi non prouideant de idoneis miniſtris, vicario, aſſeſſore, notario. Duodecimò, ſi negligant executionem legatorũ, ad ſe deuoluto

rum.

Reſidentia. Seſſ. 23. c. 1. de reform. Subditorum defectus inveſtigandi. Quæ cæteri poßint Epiſc. communicare. Ordinea, & beneficia indignis non conferre. Confecr. nõ virg. diuino officio, quando intereſſe debent Epiſc. Viſitatio. Prædicator. inſt. ſynodus celebranda. Miniſtrorum prouiſio.

rum Decimotertiò, ſi non faciunt chryſma ſingulis annis. Decimo quartò, ſi non diſpenſant redditus ſuos, & pauperibus, & Eccleſiæ, vt debent: Decimo quintò, ſi negligunt vt magiſtri inſtituantur ad docendum oportuna. Decimo ſextò ſi negligãt paſcere oues ſibi creditas. Ex his autem, in his quæ ſunt mala ſecundũ ſe, peccatur mortaliter, vt conferẽdo ordines indignis: in his verò quæ ſunt mala propter aliud, id eſt, mala quę inde oriuntur, iudicanda ſunt tam grauia quàm eſt bonum, quo oues priuantur, & malũ quod ſequitur. Decimo ſeptimo, permittere notarium petere ſolarium ab ordinandis: poſſet tamen aliquid accipere pro labore, dummodo Epiſcopus non participet in lucro. Decimo octauo, contemnere obſeruationem canonum. Decimo nono, per ignorantiam tantam, vt decem præcepta, articulos fidei, virtutes, & vitia in generali, & ſacramenta neſciat: nam & periurus eſt, reſpondendo in ordinatione quod ſciat nouum & vetus teſtamentum. Vigeſimo, de ſimonia in ordinibus, &c.

Legatorum executio. *Chriſmatis confectio.* *Redditu um diſpenſ.* *Magiſtrorum inſtit.* *Ouium cura.* *Quæ ex ſupradictis ſint peccata mortalia quæ non.* *Ab ordinandis nihil recipiẽdũ.* *Canonũ obſeru.* *Simonia in ordinibus.*

De peccatis Iudicum.

EX quinque peccatis contra ius diuinum: Primum eſt iudicium iniuſtũ.

Secun-

Secundum eſt, iudicium temerarium, ex non ſufficientib. ad iudicium. Tertium eſt vſurpatum, quando perſonam vel opus non ſubditum iudicat. Quartum, iniuſta remiſſio pœnæ, quæ gravè peccatum eſſe ſolet, licet in pecuniariam cõmutetur. Quintum, negatio ſeu dilatio iuſtitiæ, præſertim petitæ, & tenetur de expenſis & damnis illorum, quibus negatur vel differtur iuſtitia. Annexa peccata ſunt innumera, quæ ſcilicet, inducunt ad prædicta, vt odium, ambitio, timor mundanus, &c. Circa ius poſitiuũ, tot peccata, quod prohibita transgrediuntur, ipſi dicant, & nominatim de acceptione donorum.

Contra ius diuinum. *Iudiciũ iniuſtũ* *Temerarium.* *Vſurpatum.* *Pœnæ remiſſio iniuſta.* *Iuſtitiæ negatio vel dilat.* *Quæ inducant ad prædicta.* *Contra ius poſitiuum.*

De aduocato & procuratore.

Primò, aſſumens cauſam, quam nouit eſſe iniuſtam, defendendam, licet caput aliquod iuſtum proſequatur. Secundò, nolens ſcrutari an cauſa ſit iuſta, vel iniuſta. Tertiò, perſequi cauſam, q̃ intelligi in ipſa tractatione iniuſtam, licet à principio putauerit iuſtam, & id tacere clienti. Quartò, non ſtudere ad defendendam cauſam aſſumptam. Quintò, inſtruere clientem vt dicat falſum, aut

Cauſa iniuſta nõ defendenda. *Cauſa iuſtitiæ examinanda.* *Cauſa iniuſti vbi dignoſcitur manifeſtanda clienti.* *Studium.* *Cliens inſtruen, vt verita-*

aut doloſè. Sextò, exigere ab eo plus quàm debet. Septimò, nolle defendere in cauſa iuſta pauperem, cùm appareat alius qui id faciat: ſi pauper opprimi creditur ſine eius auxilio.

tem fa- ceatur. Solariū iuſtum. pauperes gratis defendendi.

De notariis.

PRimò, de periurio. Secundò, de falſis inſtrumentis. Tertiò, de occultatis inſtrumentis, aut laceratis. Quartò de facto inſtrumento illicito, vt vſurarum quas norunt, &c.

Notario rum peccata 4.

De matrimonio iunctis.

Primò, ſi fine tantùm voluptatis actum matrimonialem exercerêt, & modo non conueniente ad generationem, præcipuè ſi extra vas, &c. Secundò, ſi in diſpoſitione menſtruorum, vel cum vxor eſt grauida, ſi cum periculo abortus vel grauis damni id fit. Tertiò, ſi debitum negatur, niſi in periculo vitæ vel ægritudinis notabilis: vel cum petens, per fornicationem ius amiſit. Quartò, ſi in loco ſacro vel publico exercetur. Quintò vti coniugio ante benedictionem ſponſæ. Sextò, ſi qui petit, votum habet caſtitatis ſimplex. Septimò, ſi cum vxore

Quis finis in actu mat. vitandus. Quo tempore ſit ab vſu matr. abſtinēdum. Debitū matri. quando denegare licet. Quo in loco exerceri non poſſit. Votum caſtitatis debiti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vxore adultera publica vir commiſcetur. Octauò, ſi matrimonium ſit clandeſtinum Nono, ſi nuptiæ fiant tempore interdicto, quo ad benedictionem, & adductionem ſponſæ & celebritatem conuiuij vel ſi cum ſuperflua vanitate. Decimò, ſi excommunicatus, vel in mortali, contraxit matrimonium.

Vndecimò, ſi cum perſonis coniunctis ſanguine, vel affinitate in gradibus vetitis, vel in alio caſu prohibito: ſed tantum quære de impedimentis, de quibus eſt præſumptio. Duodecimò, ſi non prouidit familiæ de neceſſariis. Tertiodecimò, ſi exacerbauerit verbis vel factis coniugem, aut nimis zelotypus, vel remiſſus in cura fuit. Quartodecimò, de vxore, ſi inobediens, contentioſa, inculta, negligens in curâ domus, ſi non ſequitur domicilium viri, niſi trahat ad peccatum.

De Sacerdotibus & Clericis.

PRimò, ſi quis accepit ordinem ſimoniacè, vel à ſimoniaco Epiſcopo, vel ante legitimam ætatem, vel in peccato mortali, vel excommunicatus;

petitionem impedit. Vxoris adult. commiſ. Matrimonium clãdeſt. Nuptiæ tempore interdict. Vel cum ſuperflua põpæ. In mortali peccato vel excom. contrahere. Cum cõſanguineis vel affinib. Familiæ cura Vxor non exacerbanda. Peccata vxoris. Quoad ordinum ſuſceptionem.

Quoad executionem habitus, et tonſurā, Negotia Ornamēta debita. horæ canonicæ quomodo recitādæ. Simonia Sacramentorū collatio. Celebrare in mortali vel non ieiune, &c. Quoties celebrādum.

tus irregularis, aut ſuſpenſus erat Secundò, ſi iis cenſuris irretitus, vel in mortali ordinem exequatur. Tertiò, ſi non portauit tonſuram & habitum Quartò, ſi negotia ſecularia exercuit ludos, choreas, &c. Quintò, ſi officium ordinis ſine debitis ornamentis exercuit. Sextò, ſi omiſit horas canonicas, vel eas dicendo exercet opera manualia, aut voluntariè vagatur, aut non integrè pronuntiat. Septimò, de ſimonia in ſacramentis, vel aliter in beneficiis. &c. Octavò, ſi omiſit debitam materiam, vel formam; vel ritum in ſacramentis, & interrogentur in ſpecie rudiores, an ſciant formam baptiſmi, Euchariſtiæ, & neceſſariorum ſacramentorum. Nonò, ſi non confeſſus de mortali celebrauit habens confeſſarium, vel non dictis matutinis, ſi non ieiunus, ſi non communicauit, ſi tenuit immundos calices, ſi non curat attētionem, ſi non bene cuſtodit ne aliquid cadat in terram, ſi poſt pollutionē ex cauſa mortali celebrauit, ſi dixit miſſam ad maleficia. Decimò, ſi nō celebrauit ſaltem in magnis ſolemnitatibus, vel plures eodem die miſſas (præterquam in die Natalis Domini) dixit ſine licentia. Vndecimò, ſi abſoluit quem non poterat,

ſire-

Reddituum eccleſ. mala diſpenſatio.

ſi reuelauit confeſſionem, & nimis feſtinauit in audiendis confeſſionibus, ſi nõ conſuluit peritiores in dubiis, ſi pęnitẽtiam malè iniunxit, ſi interrogat quæ nõ debeat. Duodecimò, ſi prædicat mẽdacium, vel curioſa, vel iocoſa, vel indulgentias indiſcretas, vel ſimoniacè, vel ob gloriam, vel ſine licentia. Decimotertiò, ſi familiaritates habuit cum mulieribus, vel inhoneſtè eas aſpexit. Decimoquarto, in his qui habent redditus Eccleſiaſticos de mala eorum diſpenſatione.

In ingreſſu Simon.

Votum religionis arctioris.

De Religioſis

Alios ad religionem inducere, vel ab ea retrahere.

Circa vota.

Circa officium.

Prælati electio, affectuſque inordinatus.

Viſitatio.

Primò, de ingreſſu, ſi per ſimoniam. Secundò, de intentione non bona, vt nõ laborandi, &c. quæ teſtificari poteſt. Tertiò, ſi reticuit impedimẽta, vt infirmitates, &c. Quartò ſi habens votum religionis arctioris, nõ habuit diſpenſationem ante ingreſſum laxioris. Quintò, ſi mentiendo, vel reticendo aſperitatem, inducunt ad ingreſſum, vel auertunt à melioribus. Sextò, de non obſeruata caſtitate, paupertate, vel obediẽtia ſuperioris, aut conſtitutionum. Septimò, circa officiũ, ſi non fecit quod tenebatur. Octauò, de mala electione Prælati, vel inordinato affectu ad quamuis perſonam. Nonò, ſi in viſitatione Prælatorum non reuelauit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uit dicenda. Decimò, de cæremoniis principalioribus, vt eſu carnium prohibito, &c. Vndecimò, ſi tempus otio, vel inutilibus operibus mundanis conſumpſit. Duodecimò, de diſſolutione, murmure, impatientia, negligentia in orando pro aliis, ac ſe præparando ad ſacramenta &c. Tertiodecimò, de amore cõſanguineorum, & affectu ad temporalia, & locutione de rebus ſecularibus. Quartodecimò, de dimiſſo habitu.

Temporis amiſſio. Diſſolutio, murmur, &c. Conſanguineor. affectus. Habitus dimiſſio.

De Doctoribus.

Primò, ſi Doctores, qui legunt medicinam, vel leges, admittant ſcienter Religioſos, vel ſacerdotes, vel quoſcunque in dignitate conſtitutos clericos: & qui legunt alias ſcientias, etiam Theologiã, ſi admittant religioſos ſine licentia ſuorum prælatorum, vel habitu dimiſſo. Secundò, ſi habens ſalarium vel beneficium ſufficiens, exigit à diſcipulis, præcipuè pauperibus aliquid, oblata poteſt accipere idoneus. Tertiò, ſi magiſteriũ requirit, vel recipit valde ignorans, vel alios admittit (& in Theologicis videtur mortale Antonino) vel quærit gradus ad malos fines. Quartò, ſi docuit publice ſacras ſcripturas ac Theologiam exiſtẽs in.

Quinam ad lect. admittendi, & qui non. A diſcipulis nil recipiend. Aliquãdo Magiſteriũ recipere & alios admitte. Sacra ſcrip. in peccato mort. non explicanda.

in mortali. Quintò, ſi ſcientiis prohibitis ſtuduit, vel eas legit. Sextò ſi non adhibuit diligentiam, vt diſcipuli proficerẽt in morib⁹ & ſcientia. Septimò ſi iuramenta vniuerſitatis non impleuit. Octauò, de iactantia, de tractione, inuidia aliorũ profeſſorum. Nonò, ſi ab illis ſcholaſticos ad ſe traxit, aut ſectas nutriuit.

De ſcholaſticis.

PRimò, ſi non obediunt Magiſtris, in quibus tenentur. Secundò, ſi rixantur inter ſe. Tertiò, ſi magiſtrum minus aptum elegerint ex cauſa iniuſta. Quartò, de dimiſſis iniuriis, miſſa, ſacramentis. Quintò, ſi contendunt contra veritatem. Sextò ſi ſuperbiunt ex ſcientia. Septimò, ſi malum finem intendunt. Octauò ſi negligẽtes ſunt in ſtudio. Nonò, ſi nimis intendunt libris turpibus.

De mercatoribus & artificibus.

PRimò de cambiis iniuſtis. Secundò, de variis vſuræ palliatæ modis, vt ſi minoris emit propter anticipatam ſolutionem, vel plus iuſto vendidit, propter expectationem temporis: vel emit agrum cum pacto de retrouendendo minoris mediate iuſti pretij, vel certè minoris multo quam iuſtum ſit, ita vt non

Sciẽtiis prohibitis ſtudere. Diſcipulorũ profect⁹ curandus. Obediẽtia, Rixæ, electio. Ieiuniorũ omiſſio, veritatis oppugnatio. Superbia. Finis. Negligẽtia. Libri obſceni vitandi. Cambiũ. Vſura. Arma ad infideles portare.

ſit ibi vera emptio & venditio, quæ ſi eſſet, iniuſtus eſſet, ſed non vſurarius contractus. Tertiò, ſi ad infideles ferrum vel arma portarunt, ſine licentia Papæ vel cum ea ſi in præiudicium Chriſtianorum id cecidit, licet tunc in excommunicationem non inciderent.

Quartò, de monopoliis, ſi conueniunt cum aliis ne vendant, niſi aliquo pretio maiori quàm ſit æquum. Quintò, ſi mutuant ſperando lucrũ ex mutuo. Sextò, ſi fraudarunt vectigalia, & gabellas iuſtas. Septimò, ſi dederunt falſas monetas ſcienter, vel diminutas pro bonis. Octauò ſi quis in ſocietate cum aliis nõ fideliter ſe habuit, occulta lucra ſibi retinens. Nonò ſi emit res furatas, vel raptas. Decimò, ſi periuriis & mendaciis vſus eſt vendendo, & cętera. Vndecimò, ſi negotiatur diebus feſtis ſine neceſſitate, emendo, vendendo, ratiocinia faciendo, niſi ad modicũm tempus. Duodecimò, ſi mediator fuit malorum contractuum. Tertiòdecimò ſi artem habet cuius opus eſt tantùm ad peccatum, vt idola, tenetur dimittere: ſi ferè ad peccatũ, vt qui taxillos facit vel fucum, iſtos exhortari oportet, vt dimittant artem, &

Vectigalium defraudat.
Monetarum falſitas.
Societas.
Emptio.
Periurium & mendacia.
Diebus feſtis nõ negotiandum.
Malorum mediator.
Artis opus conſiderandum.

omnino

omnino iniungere, ne vendant iis quos ſciunt malè vſuros. Quartodecimò, de dolo in menſuris, &c. Quintodecimò ſi non ieiunauit, dum poſſet, moderando laborem.

Dolus circa [illegible] Ieiunium.

De medico.

PRimò, ante cognitam ægritudinem temerè curando, vel dum tentat & explorat morbum adhibendo periculoſa. Secundò poſt cognitum morbum, temerè etiam curando, dũ negligit ſtudere, aut viſitare, aut conſulere, aut mutare ſententiam, vocando potius in dubium rectam curationem alterius. Tertiò, ſi medicinam incertam in periculum vitæ experitur. Quartò, ſi conſulunt quid facere contra ſalutem animæ, aut monent, vt aduocent medicos animarum, cum opus eſt.

Quibus modis ante cognitum morbum peccet medicus. Quibus poſt cognitum. Salus corporis animæ ſaluti poſtponenda.

De pueris.

Primò, de mendaciis, periuriis, votis non impletis. Secundò, de omiſſione Miſſæ, & confeſſionis & communionis. Tertiò, de irreuerentia Patris, vel Magiſtri Quartò de verbis turpibᵒ, contumeliis, de actionibus, rixis. Sextò, de carnalibus à longè (ne diſcant qui incorrupti ſunt) interrogentur, maximè puellæ.

De carnalibus pueri cautè interrogandi.

DE PROPRIIS REMEdiis peccatorum.

PRimò, conſideratio propriæ vilitatis, & defectuum animæ, & corporis, & exteriorum. Secundò, obſeruare meliores ſe, & præcipuè Chriſtum, qui nos ad ſui imitationem hortatur dicẽs: *Matt. 11.* Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, &c. Tertiò, animaduertere ſuperborum ſeruitutem, & ignominiam, qui ad dignitate filiorum Dei decidunt, & fiunt dæmonis abiecta mancipia, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ.

Superborum miſera conditio.

Quartò, verſari cum humilibus ac modeſtis. Quintò, in veſtitu, domo atq; omnibus operationibus externis, quantum decorum ſtatus cuiuſque fert, ſeſe dimittere.

Contra vanam gloriam.

Primò, ſua abſcondere. Secundò ad defectus proprios mentem reflectere. Tertiò, honorem & laudem oblatam ſtatim offerre Deo, auctori totius boni.

Contra auaritiam.

Primò, efficaciſſimum remedium, omnia relinquere. Secundò, animaduertere magnis operibus non magis ſatiari animum

Animus exiguis potiùs

animnm, quàm exiguis, ac proinde minuendam eſſe cupiditatem potius, quàm diuitias cumulandas. Tertiò, conſiderare omnia breui eſſe relinquēda, niſi quæ præmiſſa per manus pauperum fuerint. Quartò, cogitare, quanta fuerit Chriſti paupertas, & ſanctorum qui illum ſunt imitati. Quintò, confidere Deo, qui paſſerculos alit, & dicit: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera adiicietur vobis. Sextò recedere à ſocietate auarorum: & cum illis agere, qui temporalia negligunt. Septimò, mirari cœleſtes diuitias, & bona illa infinita, certa iucundiſſima, & ſemper duratura.

quam magnis ſatiatur opibus. Quæ pauperi erogantur in cælum præmittuntur. Matt. 6.

Contra luxuriam.

PRimò, fugere conſpectum, & multo magis familiaritatem eam quæ ad libidinem inflammat. Secundò recedere à conuictu illorum, qui ſuo exemplo ad libidinem excitant. Tertiò, otiū fugere, & honeſtis exercitiis ſemper vacare. Quartò, nō nutrire corpus delicatè, ſed potiùs amare abſtinentiam, maximè à viris fortioribus, & cibis calidioribus. Quintò, repellere ſtatim malas cogitationes, & ſenſus cuſtodire. Sextò, dolorem aliquem voluntarium aſſumere, præſertim vrgente carnis tentatione.

Contra iram propriam.

Iniuria non patientem ſed inferentem lædit. Chriſto referimus.

PRimò, parare ſe ad verba & actus, quæ ſolent ad iram incitare, patienter toleranda. Secundò, intelligere patienti non nocere iniuriam, ſed potiùs inferenti: & quantum iniuriarum pro nobis Chriſtus paſſus ſit, cui referemus gratiam tantorum beneficiorum, ſi patienter iniuriam ſuſtinebimus. Tertiò, conuertat ſe ad aliud quippiam agendũ, mentem diuertens ab iniuria. Quartò ſaltem linguam & manus comprimat, & accenſam iram in pectore extinguat.

Contra iram alterius.

Prou. 15.

Primò, mollis ſermo frangit iram, durus furorem ſuſcitat: Secundo, tace, vel deflecte ab irati conſpectu.

Contra inuidiam.

Inuidia inutilis.

Inhoneſta.

Primò, non amare terrena. Secundò, cogitare quàm ſit inutilis inuidia, quæ tantùm confert ad peccandum, & inuidi cruciatum. Tertiò, quàm ſit inhoneſta cùm vel ſanguinem teneamur effundere pro noſtris proximis, ſi res poſtulauerit. Quartò, id expende, ſi alius careret bono quod tu illi inuides, non ideo tu meliùs haberes: ſi igitur inuidia nihil tibi conducit, nec ad temporalia, nec ad famam,

mam, nec ad virtutem, & animum cruciat, & à Deo auertit, quare non illam abiicies? Quintò, cogita quicquid iuuat & accendit charitatem fraternam, &c.

Contra odium proprium.

Primò animaduertere Dei vindictam qui non dimittit, niſi dimiſerimus. Secundò, qui alium odit, ſibi plus nocet quàm illi, cùm ſe in ſtatu peccati mortalis conſtituat. Tertiò, ignoſcere tandem, aliquando debemus, ſi perire nolumus in ſempiternum. Meliùs eſt ergo citò ignoſcere, & periculum euadere, ne etiam ſine merito vita tranſigatur, & vt Chriſto in ea placeamus.

Qui odit cum ſibi pluſquã alteri nocet.

Contra odium alterius.

Primò, benefacere: Secundò inſeruire: Tertiò, ſubmittere ſeſe.

Contra Gulam.

Primò, remouere quæ poſſunt gulam irritare, qualis eſt ciborum ſuauitas, varietas & condimenta. Secundò, conſiderare beſtiarum hanc eſſe voluptatem potiùs quàm hominum, quæ intellectum obfuſcat, bona deſideria extinguit, vitam reddit breuiorem: imò animalia bruta non plus indulgent cibo, quàm

Ciborũ voluptas beſtiarum eſt potiùs quã hominũ.

Gulæ incommoditas.

neceſſitas poſtulat. Tertiò, præcedens deliberatio multum confert.

Contra Acediam.

Beneficiorum recordatione amor excitatus.

Primò, crebra beneficiorum Dei recordatio, quę amorem excitat. Secundò vicinam mortem, quæ benè operandi tempus aufert, meminiſſe. Tertiò, pœnarum & præmiorum cogitatio. Quartò, deditos otio fugere, & ſectari diligentes.

Remedia vniuerſalia.

Primò, ſummum & vniuerſale remedium ad omnia vitia extirpanda, & inſerendas virtutes eſt, frequens oratio cum fiducia. Secundò, frequens confeſſio, & quæ ſtatim cùm in aliquod lapſus fueris peccatum, fieri debeat. Tertiò, frequens ſumptio Euchariſtiæ. Quartò fugere improborum, & ſectari bonórum ſocietatem. Quintò lectio piorum auctorũ, & ſacræ Scripturæ præcipuè. Sextò, meditatio paſſionis Chriſti. Septimò, conſiderare vitam ſanctorum. Octauo, præſentiam diuinæ maieſtatis & Angelorum. Nonò, mortem certam. Decimò, iuſtitiam diuinam per exempla illorum, quos puniuit. Vndecimò, futurum iudicium. Duodecimò, pœnam damnatorũ,

Deci-

Decimotertiò, gaudium & felicitatem Paradiſi.

Quomodo his armis vtendum ad vitia ſuperanda.

Radix peccatorum præcidenda.

Primò; ab affectibus, id eſt, peccatis inueſtigare oportet radicem, vnde cætera vitia pullulant. Vnum enim aut alterum ſolet eſſe vitium duntaxat, præcipium in vnoquoque homine, quod reliqua generat, quo ſublato, etiam illa quæ ab eo oriebantur interibunt. Secundo, memoria tenere remedia contra illud, vt cùm opus fuerit adhibeatur. Tertio, cum vno aut altero, peculiari diligentia pugnabis (etſi omnia in genere odio habeas neceſſe eſt) donec illud abſtuleris, aut ita debilitaueris, vt vel non repugnet, vel facilè comprimatur. Contra hunc hoſtem crebro remouandũ eſt propoſitum, acuenda ira in illum, propriiſque armis cum eo pugnandum eſt; adhibenda ſunt etiam remedia communia, & circa id, examen conſcientiæ quotidianum verſetur: Nam ſi hodie vnum aggrediaris, craſtino die alterum, nullũ tandem ſuperabis. Quartò, neceſſaria eſt animi magnitudo, ad ineundum certamen, & victoriam ſperandam, licet ar-

Bonum propoſitum crebro renouandum.

Certum Victoriæ ſignum. *Victus quinam dicendus.* *Appoſitiſſimæ ſimilitudines.*

dua & operoſa futura ſit. Certum victoriæ ſignum eſt victoriam magnanimiter ſperare Quintò, perſeuerantia in certando opus eſt, nec deſpondere animum oportet, licet millies cadas: ſurge ergo & pugna. Victus eſt ille ſolum, qui armis & voluntate pugnandi abiectis, ſe aduerſario turpiter dedit. Et licet profectus aliq̃diu minimè cernatur, nõ ideo nihil profeciſti. Nam vt horologij vmbram progreſſam videmus, progredientem non cernimus: & ſegetes creuiſſe apparet nõ apparet creſcere: ita virtutem creſcentẽ, quoniam minutis conſtat auctibus, non facilè videas, ſed tandem longiori interuallo creuiſſe videas: ſed & labor ille pugnandi, humilitas, & patientia ſuſtinenti non exiguus eſt profectus.

Reſtitutionis cognitio, tum confeſſario, tũ pœnitenti neceſſaria.

DE RESTITVTIONE.

INTER ea, quorum confeſſario neceſſaria eſt cognitio, vel in primis Reſtitutio eſt; per quam ſatis fit, pro re ablata, vel damno, vel iniuria. Eſt autem confitentibus neceſſaria, quia ſicut accipere alienum, ita & tenere inuito Domino mortale eſt. Quæ ſunt obſeruãda circa reſtitutionẽ, his duobus verſibus adnotantur.

Quæ circa reſtitutionẽ obſeruanda.

Quis,

Quis, cui, quid, quantum, vel vbi, quo tempore, quoue,
Ordine reſtituas: ſic pie lector habe.

Prius tamen intelligendum eſt, cùm loquimur de reſtitutione rei alienæ acceptæ; tam de acceptione injuſta, vt ex rapina, &c. quam de retentione non juſta, vt ex mutuo (quæ breuitatis gratia ſub acceptionis nomine comprehenditur) nos loqui. *Acceptionis nomine dupliciter capiendum.*

Quis debet reſtituere.

Tenetur reſtituere, quicunq; fuit cauſa injuſtæ acceptionis: & ſi multi fuerunt in cauſa, omnes tenentur. Decem autem modis, injuſtæ acceptionis cauſa eſſe qs poteſt, qui his verſibus continentur. *Acceptio injuſta.*

Reſtituat capiens aliena, eiuſque miniſter.
Iuſſio, conſilium, conſenſus, lauſque comeſque:
Qui recipit, mutus non obſtans, nō manifeſtans.

Primus ergo eſt, qui per ſe exequitur, ſiue proprio motu & lucro; ſiue alieno, vt miniſter vſurarij, qui contractus facit auctoritate Domini delegata, & vulnerans ex Domini ſui mandato. Secundus eſt, jubens, qui tenetur, quando ex ſua iuſſione ſequuta eſt actio injuſta: Aut ratum habens quod ipſius nomine factum eſt, impedit reſtitutionem. Tertius eſt, conſulens efficaciter: ita vt ex conſi- *Ca[illegible] per [illegible] & eius mini[illegible] j[illegible] [illegible]s* *Co[illegible]lens.*

ſio tali moueatur qs ad perpetrandum actionem injuſtam, ſi effectus ſecutus fuerit: Quartus eſt, conſentiens ſine cuius conſenſu non ſequeretur actus: ſi ſine tali conſenſu fuiſſet ſecutus. Quintus eſt, adulator quando ex laudatione & adulatione, tanquam ex cauſa vel concauſa ſequitur effectus. Sextus eſt, particeps malæ actionis, vt comes, mediator, vel qui alteri in crimine participat, quãdo eſt concauſa injuſtæ acceptionis. Septimus eſt, receptator talium. Eſt enim cauſa maleficij, præbendo eis ſecuritatem, & cuſtodiam prædæ: vnde fures animoſiùs & ſecuriùs furantur. Secus ſi non receperit tamen vt furarentur. Octauus eſt, mutus, id eſt, qui poteſt & debet loqui reprehendendo, mandando, & huiuſmodi, & non facit. Nonus, non obſtans, id eſt, non impediens actionem injuſtam quam poteſt, & debet impedire: ſicut quibus incumbit ex officio. Decimus, non manifeſtans inuaſorem malæ actionis, quando poteſt & tenetur: vt teſtis in judicio vocatus, & cuſtodes vinearum, & huiuſmodi, qui tenẽtur ad damna quæ proximus patitur ex defectu manifeſtationis quatenus non manifeſtare cauſa fuit damni. Et quod in his tribus

Conſentiens. *Adulator.* *Particeps.* *Receptator.* *Mutus.* *Non obſtans.* *Non manifeſtãs.*

caſibus

caſibus dicitur qui poteſt, & debet, intelligunt aliqui Doctores obligationem reſtitutionis ſolùm de his, quibus ex officio incumbit. *Nota.*

Quilibet ex ſupradictis, quando ſe quutum eſt damnum, tenetur inſolidum reſtituere id, cuius fuit cauſa vel concauſa ſiue ſit pars, ſiue totum. Si verò alij reſtituerint pro parte ſua, teneretur tantū pro reliquo ſatisfacere damnum perpeſſo. Quòd ſi qui principales fuerunt in damno dando, cæteroſque induxerunt, totum reſtituiſſent, reliqui ad nullam reſtitutionem tenerentur. *Quantū quilibet ex ſupra dictis reſtituere teneatur.*

Cui debet fieri reſtitutio.

Diſtinctione opus eſt. Si reſtitutio fit ex ſola re aliena, quæ apud aliquem reperitur, communiter reſtitui debet ei: cui debetur, (ſi ſciatur) ſcilicet domino rei, ſiue ſit Eccleſiaſticus, ſiue laicus. Sed ſi eſſet Prælatus diſſipator bonorum Eccleſiæ, deberet Eccleſiæ reſtitui, habito (ſi fieri poteſt) ſuperioris conſenſu. *Quid cū dominus rei ſcitur faciendum. Nota.*

Si neſcitur Dominus rei, vel ad ipſum non poteſt eſſe acceſſus, vel non ſine periculo & ſcandalo, reſtituatur Chriſto omnium Domino, dando pauperibus: poſtquam expectatum fuerit quantum ſatis ſit, ſi ſperabatur fieri poſſe, vt Domino reſtituatur.

Si

Quid cū neſci-tur, vel, &c.

Si reſtitutio fit ex injuſta acceptione, quando etiam datio eſt prohibita (vt cùm ordinis ſacri adminiſtrator recipit pecuniam, &c.) reſtitutio non fit danti, ſed ei in cuius injuriam pecunia data eſt, ſiue ſit Eccleſia, ſiue homo aliquis, vel certè Chriſto omnium hæredi.

Quid cū [acce]ptio vel datio eſt iniuſta.

Si ex ſola acceptione injuſta oritur obligatio reſtitutionis, nec datio injuſta fuit, vt in vſura, debet reſtitui damnificato, ita vt concurrant iſta duo ſimul, injuſta acceptio & damnum, quod ſequatur ex injuſta acceptione. Vnde qui pignus furatur á mercatore, eidem mercatori debet reſtituere: poſſet tamen in foro cõſcientiæ Domino pignoris reſtituere, dummodo mercator damnum non patiatur. Similiter ſi rem furatã quis furetur, Domino reſtituat, ſed fur intelligat ſe non teneri ad reſtituendum amplius.

Quid cū acceptio eſt iniuſta & datio iuſta.

Nota.

Cui reſtituendū, cum quis rem furatam ſurripit.

Si perſona, cui fieri debet reſtitutio, eſt mortua, dabitur hæredibus: ſi ignoratur, facta inquiſitione debita dabitur Chriſto in ſuis pauperibus. Si diſtat, & faciliter ac fideliter ad eum mitti poſſit, ſi res eſt magni valoris, debet ad Dominum mitti, expenſis & damno detinentis injuſtè: Si non poteſt tranſmitti, & res eſt parui valoris, poſſet dari eius propinquis,

Quid faciendū cum perſona, cui debet reſtitui eſt mortua.

pinquis, vel pauperi cœnobio, arbitrio boni viri, cum pacto, vt veniente Domino eidem reſtituatur, ſi res ſeruari poſſit. Si vſurarius ijs qui à loco vſuræ receſſerunt, velit reſtituere vſuras, expenſis ipſorum poteſt mittere: ſi ipſemet vſurarius receſſit ſuis mittet expenſis.

Quid cũ à loco re ce[illegible] ſu[illegible] V[illegible] v[illegible] recepe- runt.

Non ſemper res debet reſtitui illi, cuius eſt vel à quo accepta eſt, quando ſcilicet ei eſt damnoſa, vt enſis furioſo, &c. ſed poteſt is ſeruari hæredibus.

Quan'o licet illi cuiꝰ res eſt non reſtitue re.

Si prohibetur cauſa tantùm, non acceptio, vt in turpi lucro meretricio, &c. non neceſſe eſt reſtituere, niſi interuenerit fraus vel illicita extorſio, vel acceptum eſt ab eo, qui alienare non poteſt, debet tamen confidi illis, vt dent pauperibus; ſimiliter de acquiſitis per ludum.

Qu[illegible] cie[illegible] ã cũ cauſa acceptio nis eſt prohibita non autem acceptio.

Bona incerta reſtitutioni obnoxia, quando non poteſt inueniri Dominus: facta diligenti inquiſitione, dentur pauperibus, arbitrio illius qui habet, vel confeſſoris.

Bona i[illegible] certa qua[illegible] do reſtituenda.

Inuenta, quæ nunquã habuerunt Dominum, vel cuius non extat memoria, vel qui non curat de ijs, ſunt inuenientis. Si habuerunt, vel habent Dominum, reſtituenda ſunt Domino rei. Si facta diligenti inquiſitione non inuenitur Dominus,

Inuenta quæ do-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dominum non habent. minus, poſſunt dari pauperibus, vel retineri ab inuentore paupere, de licentia confeſſoris.

Inuenta quæ habent dominum. De theſauro cuius dominus neſcitur, ſi inuenitur in proprio fundo, totus eſt inuentoris: ſi in alieno inuenitur caſu, medietas vna erit Domini fundi, altera inuentoris, ſecundum D. Thomam. *De theſauro inuento quid faciendū.* Si ſtudioſè quærendo inuenitur, cum licentia Domini donantis, quia non vult ipſe quærere, totus eſt inuentoris. Si quærit contra vel præter voluntatem Domini, totus erit Domini. Si ſciendo theſaurum *Nota.* eſſe in fundo emitur fundus, videtur totus theſaurus eſſe ementis. Conſuetudo autem, qua theſauri inuenti principibus reſeruantur, non obligat in conſcientia, juxta Doctorum quorundā ſententias. *Res dū extat ipſa restituenda, niſi &c.* Si tamen alicubi lex, aut conſuetudo rationi conſona aliud ſuaderet, eius eſſet habenda ratio

Quid reddendum.

Vel æquiualens, cū non extat. Reddendæ ſunt res, & damna Si res exiſtat, ipſa reſtituatur, niſi periculum ſcandali vel aliud timeretur; tunc enim ad arbitrium boni viri reddetur æquiualens Si res non extat, vel facta eſt deterior, æqiualens reddatur.

Res aliena fine. Quicunque habet rem alienam, tene-

tur

tur illi reſtituere, cuius eſt, ſiue habeat bona fide ſiue non. Quod ſi habuit bona fide, vt ſi emit equum, credens eſſe vendentis, qui tamen non erat, ſi jam vendidit, tenetur reſtituere, id, quo factus eſt locupletior ex tali re, & non plus. Si donatum accepiſſet, & vendidiſſet, totum pretium deberet reſtituere.

bona ſiue mala fide poſſideatur, ſemper reſtituenda.

No[…]

Si verò habet apud ſe, tenetur reſtituere, etiam non habito pretio ab eo, cuius res eſt: habet tamen actionem contra venditorem rei alienæ. Quod ſi mala fide emit rem alienam, cupiditate lu[…] teneretur reſtituere rem illam ſi hab[…] vel æquiualens, ſi non habet, & lucrum quod ex ea acquiſiuit; & licet furtiuè auferatur ab eo, non liberatur à reſtitutione Quod ſi accepit rem, quam ſcit eſſe alienam non gratia lucri, ſed agens fideliter negotium Domini, ne res pereat poteſt à ſpoliato repetere, quicquid expendit. Quod ſi Dominus non inuenitur, dabit pauperib⁹, quod remanebat ſupra pretium & expenſas.

Nota.

[…]es alie[…]n do[…] gratiam accepta quomodo reſtituenda.

Nota.

Impediens aliquem à conſecutione cuiuſcunque boni licitè, ad nihil tenetur. Si iniuſtè impediuit eum qui erat conſecutus, tenetur ad æquale; ſi propè erat vt aſſequeretur, tenetur ad arbi-

Impediens aliquem à conſecutione alicuius boni vel

ab offic. quo reſtituēt. arbitrium boni hominis. Sic etiam impediens aliquem ab officio quod juſtè exequitur, vt ruſticum ab opere, & huiuſmodi, niſi ſecundum rationem faciat, tenetur reſtituere ad arbitrium boni hominis.

Impedientes creditorem ne debitum exigat, quomodo Q[illegible] dore[illegible] tuen.

Impedientes creditorem modo illicito, ne poſſit exigere à debitore, vt liberando eum à carcere, vel alio modo injuſto; & in genere damnum alteri injuſtè inferens, maximè data opera tenetur, (ſi damnum eſt certum) ad omnia; ſi incertum, ad arbitrium boni hominis.

Cum res aliena perit in ma[illegible] lius, eſt in culpa, &c.

Si res aliena pereat in manu illius, qui eſt in culpa ne reddatur Domino, ſi æqualiter apud Dominum erat peritura, non tenetur de damno: ſecus ſi non erat peritura, vel ante Dominus eam erat venditurus, aut in ſuam vtilitatem diſtracturus.

Cedens bonis an teneatur reſtituere.

Cedens bonis propter inopiam, ſi venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur in conſcientia reſtituere, quod debet.

In damnis vitæ membro

In damnis vitæ, membrorum, ſanitatis, libertatis, honoris famæ virium, fructuum, damni emergentis, lucri ceſſantis & huiuſmodi, pro damnis reſtitutio fiet, vt optimè poterit, ad arbitrium boni hominis.

Qui

rũ, &c.

Qui virginem ſeducendo, aut per vim deflorauit, eam ducere in vxorem tenetur, vel arbitrio boni viri ei ſatisfacere. Quod ſi promiſit ſe eam ducturum, tenetur ducere, niſi magnum inde ſcandalum vel notabilis infamia ſequeretur.

quomodo reſtituendũ.

Virginẽ deflorãs ad quid teneatur.

Quod ſi vel ipſa nubere, vel pater eam tradere nollet, tenebitur arbitrio boni viri ſatisfacere. Si autem volentem defloraſſet, non tenetur ſatisfacere; minùs etiam in vxorem ducere.

Nota.

Quantum debet reſtitui.

SI quantitas rei vel damni ſit certa, tantundem reſtituetur: ſi incerta, vt in injurijs, &c. quantum bonus & prudens homo judicabit, cõſideratis circumſtantijs ſingularibus rei, temporis, loci, & perſonæ, & huiuſmodi.

Quantitatis rei certitudo vel incertitudo, reſtitutionis quantitates variãt.

Poſſeſſor bonæ fidei, ſi antequam currat præſcriptio, aduertit rem quam poſſidet, non eſſe ſuam; in conſcientia tenetur reſtituere rem ipſam & fructus, in quibus eſt factus ditior, niſi hos poſſederit bona fide tribus annis, ſicut etiam tenetur reſtituere rem ipſam & damna, & fructus perceptos tempore malè fidei, deductis expenſis factis gratia colligendorum, & quærendorum, & conſeruantorum

Quantũ poſſeſſor bonæ fidei reſtituunt, ſi aduertit, &c.

Quantũ poſſeſſor malæ fidei.

dorũ fructuũ. Et eadẽ ratio eſt de eo q̃ nõ ſoluit legatũ per multos annos: tenetur enim fructꝰ etiam perceptos reſtituere.

Vbi reſtitutio fieri debeat.

Bonæ fidei poſſeſſor vbi reſtituat.

SI reſtitutio eſt neceſſaria, propter rem alienam, quam quis habet bona fide, fieri debet in loco vbi res habetur.

Vbi poſſeſſor malæ fidei.

Si neceſſaria eſt reſtitutio ex injuſta acceptione, reſtituatur vbi Dominus rei ſeruetur indemnis, & ſi quis grauandus eſt, occupator grauetur qui ſemper fuit in mora.

De tempore reſtitutionis.

Statim reſtituendum.

TEnetur quidem ſtatim reſtituere, qui debet includitur enim præceptum negatiuum, ſcilicet non tenere alienum.

Statim quomodo intelligendũ.

Tamen, illud Statim, ſic intellige, vt ſit paratus animo ad reſtituendum, quam cito commodè poterit: quantùm vero ad executionem, debet reſtituere congruo tempore, ſeruatis debitis circunſtantijs.

Quæ excuſant ad reſtituendũ ſtatim.

Tria vero poſſunt excuſare à reſtitutione ſtatim facienda. Primo, voluntas Domini concedentis dilationem Secundo, ignorantia rationabilis juris, vel facti. Tertio impotentia; de qua ſex

Sex conſideranda.

conclusionibus continetur doctorum ſententia. Prima eſt, quòd exiſtens quis in extrema neceſſitate, non habens niſi neceſſaria vitæ ſuæ & ſuorum, non tenetur reſtituere ſtatim: quia omnia ſunt communia tunc temporis. Secunda eſt, qui reſtituendo nõ poſſet viuere, ſecundum decentiam ſui ſtatus, etiam ſi Dominus rei, qui non eſt in tali, vel maiori neceſſitate, nolit dilationem dare, non tenetur ſtatim reſtituere, debet tamẽ cauere, ne expenſas faciat non neceſſarias, alioqui non excuſaretur ſecundũ rationem. Tertia eſt quando reſtitutio eſt in damnum corporis, vel animæ Domini, ſi ſtatim fiat, nõ debet fieri ſtatim. Quarta, ſi idem redundet in damnum, vel ſit contra bonũ commune. Quinta, ſi probabiliter futurum eſt in damnum famæ vel vitæ, vel animæ ipſius reſtituentis; vel ſi ex hoc imminet periculum de aliquo peccato mortali, non debet fieri, niſi ceſſante tali periculo; quia hæc maiora ſunt damna, quàm ſtatim non reſtituere. Sexta, ſi reſtituere ſtatim, redundat in paruum commodum creditoris, & in magnum damnum debitoris; vt ſi opus eſſet artifici debitoris, vendere inſtrumenta artis ex qua viuit.

Extrema neceſſitas.

Status conditio.

Damnũ corporis vel animæ contra bonũ commune.

Damnũ famæ animæ vel corporis vtriuſq;.

Paruum commodum creditoris & magnum damnũ debitoris.

viuit ad reſtitutionem, nõ tenetur: quia ſecundum rationem debet ei dari dilatio. *Nota.* Secus eſſet ſi creditor eſſet in ſimili caſu, quia nemo vt ſe commodet, alium debet incommodare. Quòd ſi damnum non eſſet de proprijs, ſed potiùs quia careret lucro magno, non excuſatur à *Nota.* ſtatim reſtituendo. Nota etiam, quòd ſi damnoſa eſſet dilatio creditori, nec ſtatim reſtitueretur, vt euitaretur huiuſmodi magnũ incommodum in proprijs, ſaltem ille indemnis ſeruari deberet.

Nota bene. Nota præterea quòd Confeſſarij non debent huiuſmodi pœnitentes abſoluere antequam in effectu reſtituant, ſi in alijs confeſſionibus abſoluti, neglexerunt reſtituere.

Quòd ſi debitor non poteſt habere dilationem à creditore, qui non eſt in neceſſitate, & ipſe debitor poteſt reſtituere tunc ſine magna incommoditate, tamen non vult, ſed paratus eſt poſtea reſtituere, *Quando poſſet non reſtituens abſolui.* quia credit ſe non bene poſſe tunc, poteſt abſolui, ſi promittat infra certum tempus reſtituere: quod ſi poteſt, & ipſe in conſcientia ſcit ſe tunc poſſe, & non vult, nullo modo eſt abſoluendus: quia contritum non eſſe ſatis apparet.

De ordine & modo in ſatiſfactionibus tenendo.

QUI poteſt omnibus reſtituere, non neceſſe habet ordinem ſeruare: ſed omnibus ſtatim (vt dictum eſt) reſtituere. Si omnibus non poteſt, priꝰ certa quàm incerta reſtituantur: niſi incertum huiuſmodi eſſet, vt certum ſit, quod nunquam fuit certorum creditorum, vt calix: huiuſmodi enim ſine injuria creditorum pauperibus dari poſſunt. Inter bona certa prius reſtituenda ſunt, quæ in propria ſpecie extant, & ſunt alterius: vt depoſita & etiam empta nõ ſoluta. Poſt huiuſmodi reſtitutionem, ſeruanda ſunt ſtatuta, & quod diſponit jus ciuile, ſi non ſit contra naturale: & ſi variæ ſint opiniones, ſecurior eſt eligenda.

Certa prius reſtituenda.

Quando pauperibus.

Quæ in propria ſpecie prius ſunt reſtituenda.

Vſurarius ſi non habet tot bona, vt poſſit ſatiſfacere alijs debitis licitè contractis, & vſuris; prius debet ſatiſfacere debitis licitè contractis; ſi tamen adſint duæ conditiones, prima, vt non extent in ſpecie propriæ res vſurariæ, vt pignora (ea enim debent reddi Dominis reddentibus pecuniam) altera, ſi ex huiuſmodi contractibus licitis non fuit factus pauperior ad ſoluendas priores vſuras,

Quid faciat Vſurarius in reſtituendo.

Nota.

Bona [illegible]certa quomodo reſtituenda.

[illegible]ras, vt in promiſſione dotis accideret, pauperior enim redderetur, &c.

Si bona incerta ſunt, ſecundum conſilium Confeſſarij poſſunt reſtitui: qui ſi viderit in magna miſeria debitorem, poterit diſpenſare, vt ſibi retineat, vt pauper Chriſti: ſi tamen hoc expedire judicabit. Si enim crederetur liberior futur' propter hoc ad furtum, non expediret cum eo [illegible]ic vti miſericordia.

In o[illegible]tis reſtituendis famæ ratio habēda.

Occulta cautè reſtitui oportet, ne lædatur fama: ſed publicæ vſuræ publicè ſunt reſtituendæ; magis enim recuperatur fama per reſtitutionem.

Fama quomodo reſtituendo.

Nota.

Si quis alium via juris diffamauit juſtè nō debet reſtituere, ſi injuſtè, & falſ[illegible] [illegible]ſtituat dicendo ſe falſum dixiſſe, v[illegible]acuiſſe verum: ſi injuſtè, ſed non f[illegible] (vt qui reuelauit peccatum verum) [illegible]ndo ſe injuſtè diffamaſſe aliquem, & malè feciſſe talia dicendo. Sed caueat ne mentiatur, & attendat, quomodo dicat: ne fortè dum reſtituit, magis infamet; tum enim non debet reſtituere nec quando ſequitur maioris mali periculum, quàm ſit bonum famæ conſequuturum. Si fama, non poteſt reſtitui

Cum fama reſtitui non.

aliter debet recompenſari, & ſatisfieri

de

de damno ſecuto ex infamatione, ad boni hominis arbitrium. Eodem modo de libellis diffamatorijs: & ibi debet fieri reſtitutio, vbi facta eſt infamatio publicè vel ſecretò. Aduertendum eſt etiam, quod quando infamatoria verba dicta ſunt illi, qui poterat prodeſſe, vel ſecundum ordinem iuris, vel correptionis fraternæ, vel quando talia non ſunt verè diffamatoria, vt ſunt venialia vel poſſunt in vtramque partem interpretari, vel non affirmatiuè dixit, vel quæ alia via publica ſunt, non neceſſe eſt communiter reſtitutionem famæ facere. Hæc de reſtitutione ex bonis authoribus collecta ſufficiant: Iam de cenſuris Eccleſiaſticis quædam ſubijcientur.

poteſt, quid agẽdum.

De libellis diffamatoris.

Nota.

De excommunicatione.

PRiùs de quibuſdam agetur, quæ faciunt ád cognitionem excommunicationis.

Deinde de peccatis excommunicatorum. Demùm de caſibus excommunicationis, ad ſingulos deſcendendo.

Propoſitio trimembris.

Excommunicatio duplex eſt: minor & maior. Minor, exluſio eſt à partici-

Excommunicatio duplex.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Minor.

parione ſacramentorum, & ab electione paſſiua, quia inhabilem facit ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum, &c.

Maior.

Excommunicatio maior, ſeparatio eſt à communione Eccleſiæ quo ad fructũ, id eſt, ſacramenta, ſuffragia generalia, & participationem ſpiritualium.

Vtq excommunicationem incurrat, actio ſumma requiritur.

Aduertendum eſt tamen, quod niſi conſummata ſit actio, propter quam quis excommunicatur (licet ſit incepta) & niſi ſit agens ille ipſe qui elicit actionem (quamuis impetret) non eſt excommunicatus: niſi etiam excommunicarentur dantes conſilium, fauorem, &c. & tunc niſi conſequatur talis effectus, non ſubjacent excommunicationi. Præterea cum excommunicatio non feratur, niſi propter peccatum mortale; qui ea eſt conſcientia, vt merito ſibi perſuadeat, quod nõ peccauit mortaliter, nunquam incurret excommunicationem à jure: quia ſententia juris non eſt injuſta. Effectus excommunicationis maioris (vt paulò diſtinctius explicentur) ſunt.

Nota. Excommunicatio fulminatur propter mortale.

Maioris excommunicationis effectus.

PRimò, priuari fructu & participatione diuinorum: qualia ſunt ſacramenta, & intereſſe officijs Diuinis,

etſi non publicè ſint excommunicati. Non tamen excluduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, nec ab audiendo verbo Dei Secundò, priuantur participatione bonorum operum Eccleſiæ, & orationum. Tertiò, excluduntur à regno cœlorum, ſi juſta eſt excommunicatio; vel etiam ſi injuſta, & malè contemnitur. Quartò, excluduntur ab actu ordinis cuiuſcunque: vnde qui exequitur, fit irregularis. Quintò excluduntur à beneficijs Eccleſiaſticis, quæ nec acquirere, nec alijs conferre poſſunt, nec de habitis fructus percipere, quamdiu ſunt in mora petendæ abſolutionis: & qui annum perſeueraret integrum, ſuſpectum hæreſis ſe redderet. Sextò, excluduntur ab ingreſſu Religionis, niſi priùs abſoluantur. Septimò, ab electione Canonica, actiuè & paſſiuè, quod extenditur etiam ad dignitatem laicam, vt Imperium, & Regnum. Octauò, excluduntur ab executione officiorum, & vſu juriſdictionis. Nonò etiam à ſpirituali poteſtate excluduntur, vt non poſſint ordinari, nec ordinare, niſi ſecreti ſint & tolerati: quod etiam in octauo effectu & ſeptimo, intellige, quod ad actiuam electionem attinet

Decimò, ab omni actu legitimo; vt procurare, inſtrumenta facere, & ab alijs actibus, in quibus homines communicant, vt cohabitare, &c. Vndecimò à ſepultura in loco ſacro, &c.

Excommunicatio licet injuſta timenda.

Excommunicatio ab homine lata, licet injuſta, timenda eſt, & quærenda abſolutio, dum non ſit nulla: & qui contemneret, mortaliter peccaret. Si autem nulla eſt, & non ſeruando illam, non ſequitur ſcandalum, nec timenda eſt, nec ſeruanda: debet autem caſus conſtare, ex quo ſententia ſit nulla, vt non timeatur: videlicet quod lata ſit à non habente authoritatem, &c.

Excommunica. nulla ſeruanda aliquando propter ſcandalum.

In excommunicatione à jure, vel ab homine, non eſt lata ſententia, ſed comminatio; cum dicitur, ſub pœna excommunicationis, &c. Cognoſcitur quod ſit lata, ſi ſit per verbum præteriti temporis, vt cùm dicitur. Sit excommunicatus: Aliqua etiam verba præteritis æquiualent, vt declaratoria, cùm dicitur, decernimus excommunicationi ſubjacere, & eſt lata ſententia. Quod ſi verba ſunt diſpoſitiua & ſonant in futurum (vt excommunicentur) non eſt lata, niſi addatur ipſo facto, vel quid aliud, vnde

appa-

appareat, quod ſententia ſit lata.

De peccatis excommunicatorum.

Excommunicatus minori excommunicatione peccat, ſi ſe immiſceat participationi ſacramentorum actiuè vel paſſiuè. *Excommunicatus minori excommunicatione.*

Excommunicatus maiori excommunicatione, peccat primo & mortaliter, immiſcendo ſe ſacramentis, & diuinis officijs. Secundo peccat, ſi communicat cum alijs in actibus Eccleſiaſticis: de quibus ſuprà, cùm de affectibus diceretur. Tertio peccat, immiſcendo ſe actibus humanis. Et communiter prohibita, hoc verſu ſignificari ſolent. *Excommunicatus maiori excommunicatione.*

Os, orare, vale, communio, menſa negetur.

Per Os intellige colloquia, literas, nuntios, munera, oſcula, amicitias, &c. *Os.*

Per Orare intellige ſacramenta, orationes publicas, & omnia ſpiritualia. *Orare.*

Per Vale, ſalutationem conſuetam, verbo vel ſcripto. *Vale.*

Per communionem, cohabitare, vel aliquod exercitium commune habere cum excommunicato. Non ita ſi cohabitet, ſed pro diuerſo negotio. Poſſunt & actus aliqui hic excludi, vt electioni, officij, & ſic de alijs. *Communio.*

Menſa. Per Menſam ſimul comedere, & dormire. Tamen huiuſmodi peccata mortalia cenſeri non debent, ſi abſit contemptus.

De peccatis, quæ ab excommunicatione redundant in alios.

Primò, participare cum excommunicatis in Diuinis. Secundò admittere ad ſepulturam Eccleſiaſticam: quod de excommunicatione publica intellige. Tertiò, participare in crimine damnato vel propter quod quis excommunicatus eſt, & incurrit excommunicationem. Quartò, communicare in humanis actibus prohibitis. Qui tamen participant non in contemptum, nec credendo, ex tali communione venturam eſſe ſententiam in contemptum, nec contra præceptoriam prohibitionem ſuperioris factã peccant quidem, ſed venialiter.

In communicatione cũ excommunicatis ſi abſit contemptum peccatur venialiter tantum.

Caſus liciti in communicando extra diuina cum excommunicatis, hoc verſu continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile. Vtile, vtrique parti intelligatur.

Lex. Lex ad matrimonium pertinet.

Humile. Humile, ad ſeruos, filios non emancipatos, aut commenſales, famulos, &c.

Res ignorata. Res ignorata, ad ignorantiam facti & juris

juris extenditur.

Neceſſe ad violentiam, & indigentiam corporalem, & ſuſtentationem ipſius excommunicati. Intelligitur etiam neceſſitas damni vitandi & ſpiritualis conſilij, metus etiam cadens in virum conſtantem.

Neceſſe.

De caſibus excommunicationis.

Excommunicatio minor incurritur, participando cum excommunicato publicè & nominatim, vel ob notoriam iniectionem manus violentæ in Clericum: & ab ea quiuis confeſſarius poteſt abſoluere.

Mi[illegible]r excom[illegible]mun. quibus caſibus incurrātur.

De caſibus excommunicationis maioris, breuiter dicetur in duas partes diuidendo; ſcilicet in eos qui reſeruantur in Bulla Cœnæ Domini, & in alios omnes vtcunque reſeruatos.

Reſeruata in bulla Cœnæ Domini.

Ex bulla Gregorij 13. anni 1576.

Primus caſus eſt, in omnes & ſingulos hæreticos, & eorum credentes ipſorumque receptatores, & fautores; & generaliter quoslibet defenſores, ac eorū libros, ſcienter quomodolibet defendentes.

1. In hæretic. & fautores eorum.

Nec non ſchiſmaticos, & eos, qui ſe à

2. In appellantes à Papa ad futurum Concilium.

Romani Pontificis obedientia pertinaciter ſubtrahere, ſeu quomodolibet recedere præſumunt.

Secundus, in appellantes à Romano Pontifice ad vniuerſale futurum Concilium. Nec non in eos, qui auxilium vel fauorem ad hoc ipſis præſtiterint.

3. In piratas.

Tertius, in Piratas, ac receptatores eorum, & eis auxilium ſcienter dantes, vel fauorem. Et in rapientes bona naufragantium.

4. In imponentes noua pedagia.

Quartus, in imponentes noua pedagia ſeu gabellas, & in augentes impoſita prohibitaq; exigentes.

5. In falſificatores literarum Apoſt.

Quintus, in falſificatores litterarum & ſupplicationum Apoſtolicarum, & mutantes ſupplicationes huiuſmodi ſignatas, & datas: vel Domini Pontificis aut Vicecancellarij aut Datarij eas ſignare præſumentes, ſine Pontificis vel Datarij licentia.

6. In deferentes prohibita infidelibus, &c.

Sextus, in eos, qui equos, arma, quæuis metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, funes, & materiam eorum, & alia prohibita deferunt inimicis nominis CHRISTI, quibus Chriſtianos impugnant: & in eos, qui de rebus Reip. Chriſtianæ ſtatum concernentibus in Chriſtianorum damnum,

inimicos

inimicos religionis per ſe, vel per alios certiores faciunt, illiſq; conſiliũ præſtãt.

7. In impedientes ne victualia ad vrbem deferantur.

Septimus, In impedientes, ſeu inuadẽtes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria, adducuntur: ac etiam eos, qui talia fieri faciunt, vel defendunt.

8. In offendentes eos qui Romam veniunt.

Octauus, In illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, capiunt, ſpoliant, detinent morantes in eadem, aut verberare, mutilare, vel interficere præſumunt, vel qui talia fieri mandant.

9. In offendentes peregrinos, qui Romam petũt, &c.

Nonus, In mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, detinentes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu peregrinos ad vrbem cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipſa: & illis dantes auxilium, vel fauorem.

10 Inijcientes manus violentas in cardin.

Decimus, In interficientes vulnerantes, mutilantes, verberãtes, percutientes, capientes, carcerãtes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Sediſq; Apoſtolicæ Legatos vel Nuncios, aut eoſdẽ eijcientes a ſuis diœceſibus, territorijs, terris, ſeu dominijs: eaq; mandantes vel rata habentes, ſeu præſtantes eis auxilium, conſiliũ, vel fauoem.

Vnde-

11. In eos qui cauſar. in Curia penden- tiū curſum, & literar. Apoſt. execu- tionem impe- diunt.

Vndecimus, In illos, per ſe vel alium quaſcunque perſonas ad dictam Curiam ſuper eorum negotijs recurrentes, illaque proſequentes aut procurantes, Negotiorumque geſtores, Aduocatos, Procuratores ipſorum, ſiue etiam Auditores vel Iudices, ſuper dictis negotijs deputatos, verberant, mutilant, vel occidunt, ſeu bonis ſpoliant. Vel qui per ſe vel alium, prædicta exequi, vel procurare, aut in eiſdem conſilium, auxilium vel fauorem præſtare non verentur. Ac illos qui literas Apoſtolicas, & in forma Breuis, ac etiã citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria proceſſus executoriales, aliaque decreta quæcunque à Pontifice, vel Legatis, Nuncijs, Præſidentibus, Cameræ, Apoſtolicæ Auditoribus, & Commiſſarijs alijſque judibus, & delegatis Apoſtolicis emanata, & quæ pro tempore emanauerint ſimpliciter vel ſine eorum beneplacito, conſenſu vel examine, executioni demandari aut ne Tabelliones & notarij, ſuper huiuſmodi litterarum & proceſſum executione, inſtrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt vel prohibent, aut impediri vel prohiberi procurãt: Ac Notarios

tarios. Executores & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, carcerant & detinent, vel capi, carcerari & detineri faciunt: Quin etiam quibuſdam perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eos apud ſe, aut Notarium, ſeu Tabellionem, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

12. In prælatos, qui ſpirituales cauſas in Iudicio Apoſt. auocant, & executionem mandator. Apoſtolicor. impediunt.

Duodecimus, In Cancellarios, Vicecancellarios, & conſiliarios quorumcunque Regum & Principum, ac præſidente Cancellariarum Conciliorum, & Parlamentorum, nec non procuratores generales eorundem, vel aliorum principum ſæcularium, aliosq; iudices, tam ordinarios, quàm delegatos, nec nõ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios & Officiales, qui per ſe, vel alium, beneficiales & decimarum, ac alias ſpirituales & ſpiritualibus annexas cauſas ab Auditoribus &

Com-

Commiſſariis Pontifex, aliiſque Iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarumue curſum & audientiã ac perſonas cauſas ipſas perſequi volentes, impediunt, & ſe de illarum agnitione, tanquam Iudices interponunt, vel alias executionem literarum Apoſtolicarum, vel executorialium proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium aut aſſenſum præſtant.

13. In eos & qui ſtatuta cõtra libertatem eccleſiæ faciunt.

Decimustertius, In eos qui perſonas Eccleſiaſticas trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta quomodolibet fecerint, ordinauerint & publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu Pontificis & dicto Sedis iuribus quomodolibet præiudicatur.

14. In impedientes judicium eccleſ. iuriſd.

Decimus quartus, In eos qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Iudices Eccleſ. ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica vtantur.

Deci-

Decimusquintus, in eos qui iuriſdictiones, ſeu fructus & redditus ad Eccleſiaſticas perſonas: ratione Eccleſiarum, &c. pertinentes vſurpant, vel ſequeſtrãt, aut collectas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum bonis abſque Romani Pontificis ſpeciali & expreſſa licẽtia imponunt, exigunt, aut impoſita etiam à ſponte dantibus & concedentibus recipiunt. Nec non qui prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, aut votum, ſeu ſuffragium præſtant.

15. In eos qui fructus eccleſ. vſurpãt &c. eccleſiaſt. impo-nũt. aut exig. conſiliũ præſtãt.

Decimusſextus, In quoſcunq; laicos quoquo modo ſe interponentes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas, illas capiendo proceſſando, ſeu ſententias contra illos proferendo vel exequendo, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum à Sede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunque tenoribus & formis, in genere, & ſpecie conceſſorum.

16. In laicos ſe immittentes in cauſis capitali.

Decimusſeptimus, in eos qui occupare, detinere, vel deſtruere aut inuadere hoſtiliter præſumunt, in totum vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ & Corſicæ. Terras circa Pharum, Patrimonium Eccleſiæ, & alias

17. In eos qui terras ſeu iura eccleſiæ Rom. inuadunt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

alias ciuitates, terras, & loca vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia: Quique ſupremam iuriſdictionem in illis eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare præſumunt : nec non adhærentes, fautores & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium vel fauorem quomodolibet præſtantes.

18. In raptores bonor. Palatii Apoſtolici.

Decimus octauus, In eos qui ſupellectilia libros, ſcripturas, bona Cameræ, & Palatij Apoſtolici, ex eodem Palatio ablata, infirmitatis Romani Pontificis, ac ſedis Apoſtolicæ vacationis tempore, rapiunt, & illa quocunque titulo detinent.

In abſoluentes tranſgreſſores.

Additur poſtremò de iis, qui contra tenorem præſentium, aliquos abſoluere præſumpſerint, niſi in articulo mortis: Et tunc pręſtita cautione de ſtando S R. Eccleſiæ mãdato, vel ſatisfaciendo, &c.

Confeſſarii Bullam habere debent.

Mandat inſuper Summus Pontifex in virtute ſanctæ obedientiæ, vniuerſis curam animarum exercentibus, ac confeſſarijs omnibus, vt tranſſumptum harum literarum penes ſe habeant, legant & diligenter examinent. Et hæc hactenus de Bulla Cœnæ, in qua fuſius hæc videbũtur. Et quia quotãnis ea ſolet innoua-

ri, curandum eſt, vt ſingulis annis ab ordinariis, vel alia via inquiramus, an aliquid in ea innouatum fuerit, necne.

De aliis caſibus excommunicationis, non reſeruatis in Bulla cœnæ Domini.

Primò, excommunicantur Domini ſeu rectores, vel officiales eorum, circa negotium Inquiſitionis contra hæreticos deficientes, & omnes, qui in hoc dederint conſilium, auxilium, vel fauorem.

Secundò, Inquiſitores, & officii inquiſitionis executores, qui procedere omittunt contra hæreticos, contra ſuam conſcientiam & iuſtitiam, vel falſo hæreſim imponunt, vel quod officium ſuum impediant: Et eſt Papalis.

Tertiò, Inquiſitores & commiſſarij eorum, vel Epiſcoporum, ſiue capituli Sede vacante, qui pecuniam prætextu officij inquiſitionis modis illicitis extorſerint, aut ſcienter occaſione dicti officii Eccleſiæ bona ad fiſcum, etiam Eccleſiæ, ob delictum clerici applicare attentauerint.

Quartò, qui perſeuerant, vel aſſumunt

Extra de hær. in 6. ca. vbi inquiſitionis. Excom. epiſc. ſi faciant prædict. Papalis. Clem de hæret. c. nolentes, cum ela... [illegible] Far... poſt ... In extrauag. io Rom. epiſcopalis.

munꝫ ſtatum vel ſectam fratricellorum, biſechorum, beghinorum, & prælati qui eis concedunt.

Quintò, mulieres ſtatum beghinatus ſectantes, vel de nouo aſſumentes, ac religioſi eas admittentes, vel præbentes conſilium, auxilium, vel fauorem.

Sextò, qui præſumptuosè volunt ordinationes ab Octauiano, & Guidone factas, ratas eſſe.

Septimò qui de tertiæ partis Cardinalium nominatione confiſus, Papæ ſibi nomen vſurpat, & qui ipſum recipiunt, & qui à paucioribus, quā à duabus partibus Cardinaliū electus, gerit ſe pro Papa, niſi maior concordia intercesserit.

Octauò, qui in clericum, vel monachum manus violentas iniiciunt Et non ſolùm executor intelligitur, ſed qui mandat, conſulit, dat auxilium, fauorem, conſenſum, & qui ratum habet poſt factum, ſi nomine ipſius factum eſt, & regulariter in grauibus Papalis eſt.

Nonò, inſequētes Cardinales, vel manus violētas in eos inijcientes. Item Domini temporales, vel eorum officiales, qui contra huiuſmodi conſtitutionem Bonifacij, cap. Felicis non fecerint ſeruari, intra menſem à die notitæ compu-tandum.

> *Begh. hic non dicuntur quæ à nuptiis abſtinēt in ſua puritate Deo famulari cupiētes ſed aut infideles, vt Clem. vt in hac decretali inſinuatur. Extra de ſchiſm. c. 1. ex cluſo ſchiſma. In bulla cœnæ. caſ. 10.*

Decimò, qui Epiſcopum percuſſerit, ceperit, bannierit, vel id mandauerit, ratificauerit, cõſuluerit, fauerit, ſocius fuerit, vel ſcienter defenderit. Idem de officialib. ciuitatis, qui aliquid horum contra Epiſcopum ſuum commiſerunt culpabiliter: & ex parte excommunicatio hæc reſeruatur in bulla cœnæ Domini.

Vndecimò, qui quempiam Chriſtianorum per quoddam genus hominum (quos vocant Aſſaſinos) interfecerit, vel interfici mandauerit, quamuis mors nõ ſequatur, aut eos receptauerit, defenderit vel occultauerit.

Duodecimò, qui victualia deferunt, vel quæuis mercimonia, tempore belli, ad infideles, & quouis tempore, ſi deferunt in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum Ægypti.

Decimotertiò, qui effringunt, & ſimul ſpoliant loca ſacra: & Papalis eſt, poſt denunciationem.

Decimoquartò, qui Chriſtianos naufragentes rebus ſuis ſpoliant, niſi reddiderint.

Decimoquintò, Cardinales, qui ſede vacante, conſtitutioni de electione Ro. Pontificis, pręter ſimoniã facienda, contrauenire præſumpſerint: & eſt Papalis.

Clem. de pœn. c. ſi quis.

De Iudæ. c. ad delibe-ran. in proceſſu cœnæ Domini, caſ. 6. c. conqueſtus, ca. tua nos. de ſent. excommun. papa. poſt denunciat.

In concil. Lateran. de rapt. ea excom. Papalis.

In bulla

De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decimoſextò, qui ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis Romanorum Pontificum ad futurum Concilium appellant, aut qui ad hoc fauorem, conſilium, auxilium dederint, vel aliorum dicta approbauerint, &c Papalis eſt.

Decimo ſeptimò, qui literarũ Apoſtolicarum falſariis fauent; & laici, qui talibus literis falſis vtuntur; & eſt Papalis.

Decimo octauò, Impugnantes literas electi in Papam, antequam coronetur.

Decimononò, qui Eccleſiaſticam libertatem offendunt, faciendo ſeruari ſtatuta, & conſuetudines introductas contra eam, niſi intra duos menſes poſt publicationem ſententiæ de capitularibus fecerint amoueri, & ſtatutarij ſcriptores, poteſtates, conſules, rectores, cõſiliarii, & qui ſecundum ea præſumpſerint iudicare, vel in publica forma ſcribere iudicata.

Viceſimò, qui repreſalias aduerſus perſonas Eccleſiaſticas, ſeu bona ipſorum concedunt, vel extendunt ad eas, niſi intra menſem reuocauerint.

Viceſimo primò, qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmittendũ Eccleſias, bona illarum immobilia vel iura illarum (in caſibus non permiſſis à iure) laicis compule-

cœn. ca. ſ. 3. ca. cum iã diuin. in bulla cœn. c. 2. c. ad falſarior. ex. nũc in bulla cœn. caſ. 5. Nunc in bulla cœnæ caſ. 13. Si perſona ſingularis fuerit. ſen. excom. in. ur. rit, ſi vniuerſitas Eccleſiaſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pulerint, vel vſurpauerint ex huiuſmodi contractibus, etiam licitè factis, aliquid niſi legitimè moniti reſtituerit, &c.

Viceſimo ſecundò, qui quaslibet perſonas Eccleſiaſticas, ad quas ſpectat electio in monaſteriis, vel piis locis vel cõſanguineos earum, aut ipſas Eccleſias, vel cætera loca grauauerint ſpoliando, vel alias iniuſtè perſequendo, pro eo quòd noluerint eligere perſonam, ad cuius electionem inducebantur.

Viceſimotertiò, qui impediunt litigãtes in quouis foro Eccleſiaſtico, etiam extra curiam, in cauſis, quæ de iure ad dictum forum pertinent, vel conſilium, auxilium fauorem ad hoc præſtant.

Viceſimoquartò qui dant alicui licẽtiam occidendi, vel grauandi in perſonis vel in bonis ſuis, vel ſuorum aliquem, pro eo quòd ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti protulerit, vel eum cuius occaſione fuerit prolata, vel obſeruantes eaſdem ſententias, vel ſic excõmunicatis communicare nolentes niſi re integra licẽtia reuocetur, vel ſi ad bonorum captionem, occaſione ipſius licentia ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint intra ſeptem dierum ſpatiũ reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impẽſ.

ſubiacet interdicto c. Si pignor. de iniur. in epiſc. cap. hoc &c. in 6. nũc ex parte eſt in bulla cœ. caſu 15. pro eo tamen quo quis literas apoſtolicas impediret contra proceſſ. cœn. caſu 14. c. libertatis. de immunit.

Item

Item qui vtuntur dicta licentia ad aliquid præmiſſorum, vel motu proprio id committunt, & poſt duos menſes reſeruatur Sedi Apoſtolicæ.

Vigeſimoquintò, Domini temporales interdicentes ſubditis, ne perſonis eccleſiaſticis vendant, emant, aut alia obſequia exhibeant.

Vigeſimoſextò, qui regalia cuſtodiam ſiue guardiam, vel titulum aduocationis in locis piis vacantibus, de nouo vſurpare conantes, bona eccleſiaſtica occupare præſumunt, & perſonæ eorundem piorum locorum, quæ hoc fieri procurant: Bonifac. de electione generali lib. 6 Episcopat.

Vigeſimoſeptimò, qui fecerint cõtra ſtatutum Alexandri 4. qui eccleſias & perſonas eccleſiaſticas ad pedagia & guidagia ſtatuit non teneri.

Vigeſimooctauò, Cõſules, rectores, & qui poteſtatem habere videntur, cum fautoribus ſuis, qui onera impoſuerint, & angariis afflixerint perſonas eccleſiaſticas, & euacuauerint iuriſdictionem & authoritatem prælatorum, ita vt nihil poteſtatis temporalis in ſuis videatur eis remanſiſſe, ſi commoniti deſiſtere noluerint, & ſucceſſores eorum in officiis, niſi

eccleſ. in 6. epiſc. in 6. epiſ. præmiſſ. plenaria ſatisfa. c. non minus de immun. eccleſ. epi. præmiſſa ſatisfac. Nunc in bulla cœnæ caſ. 15. c. 1. de iis quæ vi met. cau. in 6. epi.

niſi intra menſem, à ſucceſſione computandum ſatis fecerint.

Vigeſimononò, qui reuocationem excommunicationis, &c. vel abſolutionem vi vel metu extorquent.

Trigeſimò offendentes eccleſiaſticam libertatem in clauium officio, claudentium diuinum cultum excommunicatis, & interdictis: & eſt Papalis.

Trigeſimoprimò, impedientes ſequeſtrationem beneficij per loci ordinariũ factam vna diffinitiua ſententia contra poſſeſſorem promulgata, vel fructus ſequeſtratos quoquomodo occupare præſumentes.

Trigeſimoſecundò, impedientes monialium, aut canonicarum ſecularium viſitatores in ſuo officio, niſi moniti reſipiſcant.

Trigeſimotertiò. Sepelientes in loco ſacro hæreticos, & eos qui deliberatè adhærent eis, ac receptatores eorum.

Trigeſimoquartò qui in cœmiteriis, tempore interdicti, quoſcunque, in caſibus non conceſſis aut excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, vel manifeſtos vſurarios, ſcienter ſepelire præſumunt, non ſine contemptu clauiũ.

Trigeſimoquintò, qui ſciẽter in gra-

bus

Nunc videtur contineri in bulla cœnæ caſu 15. c. grauis de ſent. excom. epiſc. c. 1 de ſequeſtr. epiſcop. amoto impedimẽt. & reſtitutis occupatis, alioqui nullatenus abſoluendus Cle. attendẽtes, de ſtatu monacho epiſco. c. quicun-

bus prohibitis conſanguinitatis, aut affinitatis, vel cum monialibus, vel qui in religione, aut ſacris conſtituti, matrimonium contrahunt.

Trigeſimoſextò, ſimplices religioſi, qui decimas eccleſiis debitas vſurpare præſumunt, &c. niſi poſt requiſitionem deſiſtant à præmiſſis intra menſem, & damnificatis eccleſiis emendam intra duos menſes faciant.

Trigeſimo ſeptimò, Religioſi, & clerici ſeculares, inducentes alios ad vouendū, vel promittendum, vel ſepulturas apud ſuas eccleſias eligant, vel iam electas vlterius non immutent, eſt Papalis.

Trigeſimooctauò, Religioſi de clauſtris ad audiendas leges, vel medicinam exeuntes, & intra duos menſes ad clauſtrum non redeuntes, & presbyteri, ac alii clerici perſonatus habentes, intra prædictum ſpacium ab huiuſmodi audiendis non reſiſtentes.

Trigeſimononò, Officiales cōmunitatum, aut poteſtates, vſuras quibuſdam ſtatutis fouentes, & iudicantes quòd ſoluantur vſuræ, vel quòd cùm ſolutæ repetuntur, non reſtituantur, &c.

Quadrageſimò, Clerici minores Epiſcopis, qui in terris ſuos permittūt publi-

quæ de hære. in 6. Abſolutionē non merentur niſi publicè ex tumu- ex de conſan. lent. c. cupientes de pœnis papalis. 6. Super de clar. vel mō. mon. e- piſc. in c. em. de vſur. c. 1. epiſc. c. vſurarum. de vſur. in epiſcop.

cos

eos vſurarios alienigenas ad fœnus exercendum, domos conducere, vel aliàs habitare, &non expellunt intra tres mēſes, de cœterò non admiſſuri, vel eis locant, vel alio quouis titulo concedunt domos ad fœnerandum vſurariæ prauitati fauentes.

Quadrageſimo primò, qui vrbis Rom. dignitates, ſeu officia vſurpant.

Quadrageſimoſecundò, Dominus & alij rectores, &officiales ciuitatis in qua Papæ electio celebranda eſt, ſibi iniunēta diligenter non adimplentes, aut fraudem in eis comittentes.

c. Fundamenta de elec. in 6. Papalis.

Quadrageſimo tertiò, Mittentes ſcriptum vel nuncium Cardinalibus, in conclaui exiſtentibus, vel alicui ipſorum ſecretò loquentes.

Vbi periculum epiſc. c. Nuper de ſent. excom.

Quadrageſimoquartò, Religioſi mēdicantes, qui ad habitandum domos, vel loca quæcunque de nouo recipiunt, vel recepta mutant, vel in alios transferunt, quocunque alienationis titulo.

epiſcop. ſi conditor.

Quadrageſimoquintò, ſcienter communicantes, auxiliando, fauendo, vel conſulendo ei, qui nominatim excommunicatus eſt in crimine, propter quod eſt excommunicatus.

Canonũ non reſeruauit abſolutionem.

Quadrageſimoſextò, Clerici, qui ſciē

Clem. ſignifica.

ter & ſponte recipiunt ad diuina excommunicatum à Papa: & eſt papalis.

nit, de ſen. ex- commu.

Quadrageſimoſeptimò, qui fictionem ſeu fraudem committunt adhoc, vt iudex perſonaliter vadat ad mulierem pro teſtimonio.

c. mulieres de Iudic. Epiſ.

Quadrageſimooctauò, pars quæ procurat, vt de aliis, quàm de manifeſtis iniuriis, ſeu violentiis conſeruatores ſe intromittant, vel ad ea quæ iudicialem indaginem exigunt ſuam extendant poteſtatem.

Epiſcop. præmiſſa integrali ſatisfact.

Quadrageſimonono. Religioſi temerè habitum ſuum dimittentes, vel ad quæuis ſtudia ſine debita licentia accedentes: & doctores, qui religioſis habitu ſuo dimiſſo leges vel medicinam ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis retinere præſumunt.

c. pericu loſa, de cler. vel monach. Epiſcop. c. ne in agro de ſtat. mo. Epiſcop.

Quinquageſimò, ſimplices monachi, & Canonici regulares ad curias Principum ſe conferentes, vt damnũ aliquod inferant ſuis prælatis, aut Monaſterio.

Ibidem Epiſcop.

Quinquageſimoprimò, Monachi intra ſepta monaſterij ſine licentia Abbatum ſuorum arma tenentes.

c. religioſi de priuil. papalis.

Quinquageſimoſecundò, Religioſi parochiale officium circa extremam Vnctionem, Euchariſtiam, Matrimonium, & ab

& abſolutionem excommunicatorum à canone, & ſtatutis prouincialibus, vel ſynodalibus, vel etiam à culpa, & à pœna vſurpantes: eſt papalis.

Quinquageſimo tertiò, Religioſi, qui proferunt aliqua, vt audientes retrahant à ſolutione decimarum Eccleſiis debitarum.

C. cupientes de pœn. in 6. epiſc.

Quinquageſimoquartò, Religioſi ſuſpenſi ab officio prædicationis, quod ſcienter poſtpoſuerint conſcientiam facere confitentibus de non ſolutis decimis, Eccleſiis debitis, ſi dicta negligentia non purgata prædicare præſumunt.

d c. cupientes. epiſcop.

Quinquageſimoquintò, Religioſi nõ ſeruantes interdictum, vel ceſſationem à diuinis, quam ſeruat mater Eccleſia, ſi ſit localis ac generalis.

Clem ex frequẽtibus de ſent. excommu. epiſcop.

Quinquageſimoſextò, qui propter legitimum impedimentum abſoluti à ſententia canonis, vel hominis, ab eo, qui de iure abſoluere non poterat, contemnunt, quàm primùm commodè poſſunt ei à quo de iure erant abſoluendi, ſe pręſentare: & abſoluti à Papa vel ipſius legato, quibus iniunctum eſt vt irent ad ordinarios, vel aliquem alium pro pœnitentia, & vt ſatisfacerent iniuriam paſſis, ſi hęc quam primũ poterunt, non cu-

c. eos, de ſentent. excom. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rauerint, adimplere: & eſt Papalis vel Epiſcopalis vt prior, in quam re incidit.

c. deteſtandæ in extra ma. de ſep. Pap.

Quinquageſimo ſeptimò, qui in locis Chriſtianorum, corpora defunctorum, ad alia loca transferenda, exenterare, ac inhumaniter & crudeliter pertractare, vel pertractari facere præſumunt: eſt Papalis.

Mart. V. in Conc. Conſtan. Papal.

Quinquageſimooctauò, qui dant, & recipiunt aliquid ſimoniacè, in ordine vel beneficio, vel mediatores fuerint, vel procurauerint, vt huiuſmodi fiat ſimonia: eſt Papalis.

c. Clerici nõ clerici, vel mon. epiſcop.

Quinquageſimononò, qui aliquid ex pacto dat, aut recipit, pro ingreſſu religionis, eſt Papalis.

Sixtꝰ 4. in extr. c. Graue nimis papalis.

Sexageſimò, Religioſi, qui ex ordinibus mẽdicantium ad aliquem monaſticum ordinem (præter Carthuſienſem) abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, conuolant, & qui ipſos recipiunt, eſt Papalis.

Sexageſimoprimò, qui bona Eccleſiaſtica alienant, & alienata recipiunt.

Sexageſimoſecundò, Sacerdotes officium vicecomitis, aut præpoſiti ſecularis habentes, & poſt monitionem emendare nolentes.

can. ſuper gen.

Sexageſimotertiò, qui aſſerere præſu-

munt,

munt, tenentes beatã Virginem ab originali peccato fuiſſe præſeruatam. Hæreſim aut peccatum mortale incurrere, & vice verſa, eſt Papalis.

Septuageſimo quartò, impediẽtes Legatos, vel nuncios Apoſtolicos, ne recipiantur, & faciant ea, ad quæ miſſi ſunt.

Sexageſimoquintò, Vocati ad dirigẽdas moniales in electionibus faciendis, qui nõ abſtinent ab his, vnde poſſit oriri diſcordia, vel nutriri in ipſis electionib⁹.

Sexageſimoſextò, qui ordini Prędicatorum, aut Minorum contumeliam, aut iniuriam faciunt, intrando Monaſteria monialium in caſibus non conceſſis, vel libellos in infamiam ſtatus ipſorum edẽdo, detinendo, vel publicando, vel docendo, quòd non ſunt in ſtatu perfectionis, & quòd non liceat eis de eleëmoſynis viuere, vel prædicare, vel confeſſiones audire de licentia Papæ, vel exercendo violentiam in loca ipſorum, vel detinendo in Eccleſiis ſuis Apoſtatas eorum, & eos reijciendo à conſortio Vniuerſitatis Pariſienſis, & Papalis eſt, vel Generalibus, aut Conſeruatoribus horum ordinum ferè reſeruata.

Sexageſimoſeptimò, Cardinales Rom. Eccleſiæ reuelantes aliquid in conſiſto-

tes, papæ, quanũ adhuc canon. c. Indemnitatib. de elect. Non ſint multa. Item Bonifac. in priuil. Virtute abſolut. epiſ. Generali ordinis reſeruatur.

Leo X. in 9. Seſſ. Cõcilii Lateran.

Papalis. Idem ibid. ſeſſio.10.

rio vetitum à Papa, vnde aliquid præiudicij vel ſcandali naſcitur.

Sexageſimooctauò, qui librum, aut quamcunque ſcripturam imprimere ſeu imprimi facere præſumunt, niſi prius in vrbe per Vicarium & ſacri Palatij Magiſtrum, in aliis verò diœceſibus per Epiſcopum vel alium peritum ab eo deputatum, & ab inquiſitore.

Idē ibi. ſeßio. 11 Hic caſus continetur in lib. pœnitentiariæ. Vt refer. Archie. ſe. vidiſſe, lege Syl. excom. 6. num. 91.

Sexageſimononò, qui in ſuis prædicationibus ad populum miracula falſa, aut incerta, vel prophetias, quæ ex ſacra ſcriptura non conſtant, prædicare, vel Eccleſiæ prælatis detrahere auſi fuerint.

Septuageſimo, accedentes ad Dominicum ſepulchrum ſine licentia Papæ.

Septuageſimoprimò, qui audiunt ſcienter libros Hæreticorum, & inquiſitoribus abſolutio reſeruatur. Sunt & aliæ excommunicationes, quæ non videntur in vſu eſſe, vel nō ſunt generales, ſed quæ in hac vel illa diœceſi vigent, & confeſſarij (præſertim qui facultatem ab eis abſoluendi non habent) curare, vt eas nouerint quæ legant, vbi ipſi confeſſiones audiunt. Sed dicta de caſibus excommunicationis ſufficere videntur, vt ſi qui occurrerint, agnoſcantur. Qui fuſiorem tractationem requiret, ad canones

nes vel alios authores ei recurrere, vel certè peritiores conſulere licebit.

De ſuſpenſione.

SVſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, inhabilitans ad executionem ordinum, officiorum, vel iuriſdictionis, ex aliquo impedimento proueniens, ex inſtitutione Eccleſiæ habet robur: & quamuis pęna ſit potius quàm culpa, communiter tamen propter peccatum incurritur. *Suſpenſio quid ſit.*

Qui ſuſpenſus eſt à pontificialibus, non poteſt quæ ſunt pontificialia. *Suſpenſio à pontificalibus.* Qui ab ordine tantùm, nō poteſt ea quæ ſunt ordinis; ſi à iuriſdictione tantum, nō poteſt quæ ſunt iuriſdictionis: ſi ab vtroque neutrum poteſt. Si eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, non poteſt agere nomine proprio tanquam beneficiatus: *Suſpenſus ab officio.* nec debet habere redditus, licet mediocrem ſuſtentationem habere poſſit, ſi aliunde non habeat vnde viuat. *Suſpenſus ſi cōtra facit mortaliter peccat.* Suſpenſus à iure etiam propter defectum corporalem, vel ab homine, debet abſtinere ab officio etiam poſt contritionem & confeſſionem, quouſque relaxata fuerit ſententia: alias ſuſpenſus à diuinis, vel oficio, vel ce- *Minoribus ſuſpenſis.*

Suſpenduntur & maiora, & non contra.

lebratione, ſi contra faciat, mortaliter peccat.

Cùm minora interdicuntur, maiora intelliguntur interdicta, non vice verſa: vt ſuſpenſus à ſubdiaconatu interdicitur à ſuperiobus ordinibus, non è contrario.

Suſpendere quis poſſit.

Quicunque poteſt cogere per cenſuram Eccleſiaſticam, poteſt ſuſpendere, excommunicare, & interdicere, & qui poteſt excommunicari, poteſt ſuſpendi, & debet fieri inſcriptis ſuſpenſio monitione præmiſſa, quando fit propter contumaciam, non autem ſi feratur in pœnam delicti commiſſi.

Conditioni in ſuſpenſione ſatisfiat tollitur & ſuſpẽſio.

Quando in ſententia ſuſpenſionis dicitur: Donec ſatisfecerit, &c. adueniente conditione, non indiget alia relaxatione, ſicut excommunicatio.

A ſuſpẽſione quis abſoluat.

Abſolutio à ſuſpenſione.

Suſpenſus à iure, poteſt ab Epiſcopo abſolui, niſi canonis conditor ſibi reſeruet, vel niſi ſit ſuſpenſus propter peccatum, à quo non poteſt ipſe abſoluere. Si verò ab homine ſententia eſt inflicta, abſoluet qui eam tulit, vel ſuperior: & abſolutio fit ſolo verbo Reuoco, vel remoueo, vel abſoluo à tali ſententia: quia non habet propriam formam.

Caſus

Caſus permulti ſunt in quibus incurritur ſuſpenſio, inter quos eſt concubinatus notorius clerici, oblatio vel ſuſceptio duelli à clerico. Suſpenduntur etiam ordinati extra tempora, vel ab Epiſcopo non ſuo, vel excommunicato, &c. Suſpenduntur & ſimoniaci. Sed de his & aliis, qui pleniorem deſiderat tractatum, videat canones, vel aliquem ex his qui collegerunt (vt Syluester) aut conſulat peritos.

Caſus in quib. incurritur ſuſpenſio.

De interdicto.

INterdictum Eccleſiaſticum eſt quædam prohibitio, qua in aliqua terra vel Eccleſia, vel perſonis, interdicitur adminiſtratio Sacramentorum, vel diuinorum officiorum celebratio, ſeu executio aliquorum ſpiritualium.

Interdictum quid ſit.

Et quando prohibentur omnia ſpiritualia, dicitur ſtrictum: quando quędam tantum, dicitur largum. Triplex eſt, locale tantum, perſonale tantum, locale & perſonale ſimul. Et cum interdicitur aliqua vrbs locale: cùm clerus perſonale: cum vtrumque vrbs & perſonæ, dicitur locale & perſonale ſimul.

Interdictum triplex.

Quodlibet iſtorum duplex eſt: generale, vt cum interdicitur tota vrbs, vel popu-

Aliud generale, aliud particulare.

populus, vel prouincia: particulare, vt cùm aliqua Eccleſia in vrbe, vel aliqua perſona, vel in vno delicto plures nominantur: tunc quocunque pergant interdicti ſunt, quamdiu durat interdictum (ſi ad tempus fuit) vel abſoluuntur, nec poſſunt audire diuina, imo in diuinis euitandi ſunt, ſi ſint nominatim interdicti, ſicut excommunicati non autem extra diuina.

Nota.

Quæ Papa, & cæteri prælati interdicere poſſunt.

Poteſt Papa omnia interdicere, præter baptiſmum paruulorum, & pœnitentiam morientium, & illa ſine quibus iſta duo poſſunt bene fieri: alij prælati non poſſunt, niſi ſecundum iuris diſpoſitionem interdicere.

Quando quis tenetur obſeruare interdictum.

Religioſi etiam exempti obſeruare tenētur niſi, &c.

Ad obſeruationem interdicti tenetur quis, quando publicè promulgatum eſt contra perſonam vel collegium, vel locum certum à iudice, ſpecialiter & expreſsè, non aliter. Sufficit autem ſcire quòd vicini, & maximè metropolitana Eccleſia receperit ſententiam, & ſeruet: & etiam religioſi exempti, niſi habeant ſuper hoc ſpeciale priuilegium, tenentur id obſeruare. Excuſat tamē ignorantia probabilis, non craſſa vel ſupina.

Clero interdicto non intelligitur populus interdictus, nec vice verſa. Et nomina-

mina cleri, in materia fauorabili, intelliguntur religioſi, non autem in odioſa, interdicta ciuitate propter delictũ Dominici, ciues non ſunt interdicti. Ideo extra ipſam poſſunt audire diuina. Si autem populus eſt interdictus, & Comites & nobiles interdicti ſunt, niſi ex priuilegio ſint ſui iuris, & etiam ſuburbia, & villæ circa ciuitatem, quę non pertinent ad aliam vniuerſitatem.

Eorum qui interdicti poſſunt differentiæ.

Interdicto clero, non eſt interdicta Eccleſia. Ideo alij clerici licitè celebrãt in ea. Si eccleſia interdicatur, alia Eccleſia cohærens, vel capella mediante muro, non intelligitur interdicta. Si veniant homines non interdicti ad alia loca interdicta, non poterunt ibi celebrare, neque audire diuina: ſecus ſi communitas & non locus: excludendi tamen eſſent interdicti, & curandum ne vilipendantur cenſurę eccleſiaſticæ: Qui habitant in populo interdicto, non ſunt tamen de illo, non cenſentur interdicti, nec pueri, qui doli non ſunt capaces.

Interdictum aliud à iure aliud ab homine.

Interdictum aliquando emanat à iure, aliquando ab homine. A iure, generale eſt contra collegium, vel vniuerſitatem cogentem Eccleſias vel per-

 ſonas

Interdictum à iure generale.

ſonas eccleſiaſticas ſoluere pedagia, &c. Secundò contra vniuerſitatem locantẽ domos vſurariis, ad exercendum fœnus. Tertiò, contra vniuerſitatem quæ repreſalias concedit contra perſonas eccleſiaſticas. Quartò, contra non ſeruantes ſeruanda in electione Papæ. Quintò, contra quamcunque ciuitatem (præter Romanam) quæ conſentit dando auxilium, conſilium vel fauorem occidentibus, vel percutientibus Cardinalem, vel non punientem infra menſem, ſi poterit. Sextò, contra ciuitatem quæ proprium Epiſcopum percuſſerit, vel ceperit, aut in exilium miſerit. Septimò, contra clericos, vel religioſos inducentes aliquem ad vouendum, vel promittendum de ſepultura, ſi in Eccleſia eum poſtmodum ſepeliant, ſi non reſtituant omnia intra decem dies. Octauò, contra regnum, vel locum, quando Dominus eius impedit, ne legatus vel nuntius Papæ, poſſit exequi ſuum officium.

Interdictum ante denuntiationem non inducit obligationem.

In prædictis tamen caſibus (vt dictum eſt) nullus tenetur ſeruare interdictum, ante denunciationem per iudicem faciendam.

Particulariter quandoq; locus inter-

dici-

dicitur à jure. Primò quando Eccleſia eſt polluta per homicidium, vel effuſionem ſanguinis injuſtam, aut ſemina ſtudioſè procuratam. Et ante reconciliationem, non debent ibi officia diuina celebrari. Secundò, ſi propter diſcordiam patronorum, Epiſcopus claudit oſtia, & tollit inde reliquias, & prohibet celebrari. Terriò ſi Eccleſia per ſimoniam eſſet conſecrata. Quartò, ſi principaliter pro quæſtu Quintò, ſi ſine licentia diœceſani Epiſcopi Sextò, ſi ſine reliquijs, vel in loco deſerto. Septimò, ſi hæreticus tradatur ſepulturæ eccleſiaſt. ſcienter. Ab homine quocunque fertur ſententia interdicti, qui poteſt ferre excommunicationis, vnde nulla mulier id poteſt.

Interdictum à jure particulare.

Quando ab homine fertur ob contumaciam, debet præcedere monitio, & forma tradita. Et defectu monitionis, aliquando eſt nullum, aliquando injuſtum interdictum. Si propter delictum feratur, non eſt neceſſaria admonitio.

Interdictum ab homine. Aliquando neceſſaria monitio aliquando non.

Forma verborum in interdicto eſt iſta; Nos propter talem cauſam, Eccleſiam, vel ciuitatem, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Et ſecundum doctores, non poteſt poni ſine rationabili cauſa.

Interdicti forma.

Ad

cauſa poni non poteſt.

Interdictũ quomodo relaxetur.

Ad relaxandum interdictum, non eſt aliqua certa forma verborum ſed nudo verbo poteſt tolli. dicendo. Reuoco, Remoueo, vel abſoluo: & ſimilia. Etſi eſt ad tempus, vel ex conditione, his expletis ex ſeipſo deſinit. Sola enim intentione authoritatem habentis, quocunq; modo expreſſa relaxatur.

Quando perſona eſt ſimpliciter interdicta, ila poſt ſatisfactionem relaxari debet vel abſolui, quando verò populus vel locus, ſoli qui peccauerunt ſatisfaciant, & abſoluantur. Si illi in quorum fauorem poſitum eſt interdictum non ſeruant, nec alij tenentur: & dicuntur violare, quando maiores ex eis, vel eorum maior pars violat.

Nota

Interdictum ab homine à quo relaxetur.

Interdictum poteſt relaxari (ſi eſt ab homine) ab eo qui tulerit, vel à ſuperiore. Si verò ſit à jure, & conditor juris non reſeruauerit, Epiſcopus poteſt relaxare, & non inferior ordinario. Si eſſet terminatum ad certum tempus à jure, non poſſet tolli ab ordinario ante illud tempus.

Interdictum à jure, quis tollat.

Interdicti local. generalis moderatio.

In generali interdicto, loci non perſonæ, ſtandum eſt moderationi cap. Alma, &c. Id eſt, vt quotidie in Eccleſijs, & monaſterijs miſſæ, & alia officia celebrari poſ-

ri poſſint, ſicut priùs: voce tamen ſubmiſſa, ianuis clauſis non pulſatis campanis, excommunicatis, & interdictis excluſis; & in feſtiuitatibus Natalis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis, omnium Sanctorum, pulſatis campanis diuina celebrantur, excluſis tamen excommunicatis: dum tamen illi, propter quos poſitum eſt interdictum, non appropinquent altari, id eſt, non faciant offertorium: & dies incipit à veſperis vigiliæ vſque ad feſti completorium, imò & miſſa vigiliæ ſecundum aliquos poteſt includi. Eiſdem diebus aqua ſolenniter poteſt benedici & aſpergi, panes & fructus benedici, & adminiſtrari: benedici virgines, calices, &c.

Tempore interdicti quæ ſacramenta concedantur.

Sacramentum baptiſmi adultorum & paruulorum, tempore interdicti conceditur, & confectio chriſmatis in die Iouis ſancti, & chriſmatio tam adultorum, quàm puerorum: pœnitentia tam ſanorum, quàm morientium, exceptis excommunicatis, & illis quorum culpa vel dolo, lata eſt ſententia, vel dederunt auxilium, &c. Conceditur etiam viaticũ exiſtentibus in periculo mortis, & poteſt portari cum lumine & campanula,

nec

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nec prohibentur interdicti adorare hoſtiam, niſi cùm diuina officia actualiter celebrantur.

De ceſſatione à Diuinis.

Ceſſatio à diuinis ob quã cauſam addatur.

Aliquando cùm obedientia non eſt præſtita excommunicationi, nec interdicto, addi ſolet ceſſatio à diuinis, quæ prohibet celebrationem diuinorum officiorum, & adminiſtrationem ſacramẽtorum, etiam ianuis clauſis. Tunc autem literæ Apoſtolicæ bene conſiderandæ ſunt, & ſecundum eas judicandum: quia ligant quantum Pontifex expreſſit, & non amplius.

Ceſſatio à diuinis quid.

Eſt ergo ceſſatio à diuinis, qua deſiſtitur ab officijs & miniſterio ſacramentorum: & diuiditur in generalem, quæ imponitur loco vniuerſali, vt ciuitati, & in particularem, quę imponitur loco particulari, vt Eccleſiæ.

Ceſſatio à diuinis aut generalis aut particularis.

Non eſt autem cenſura, quemadmodum erat interdictum; & qui violat ceſſationem à diuinis, etiam particularis, non eſt propterea irregularis, vt qui violat interdictum.

Nota.

Et qui priuilegium habet audiendi diuina officia tempore interdicti, non ei ſuffragabitur, vt tempore ceſſationis à diuinis, audire poſſit: nec qui priuilegium habet audiendi tempore ceſſationis generalis, continuò audire poterit tempore

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tempore ceſſationis particularis: Et hæc de ceſſatione attigiſſe ſit ſatis.

De Irregularitate.

Irregularitas, eſt nota ſeu impedimentum canonicum, de facto proueniens, qua qui, ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & jam promotus in eis miniſtrare prohibetur. Vnde latiùs patet, quàm ſuſpenſio, quæ tantùm importat inhabilitatem ad executionem. *Irregularitas quid ſit.*

Tribus modis in genere contrahitur. ex delicto, ex defectu corporis, ex defectu ſacramenti: nunquam tamen incurritur, niſi ſecundum illos modos, vel caſus qui expreſſi ſunt in jure. *Irregularitas tripliciter contrahitur.*

Sunt autem multi caſus. Primus, per homicidium. Secundus, per ordines ſuſceptos, vel ſacros exercitatos in maiori excommunicatione. Tertius, per plures ordines ſacros vno die receptos, vel minores, cum aliquo ſacro, niſi excuſet cõſuetudo. Quartus, per reiterationem Baptiſmi. Quintus per Apoſtaſian à fide. Sextus per infamiam ſecundum quoſdã, quæ tollit executionem ordinum, & exercitium cuiuſcunque dignitatis, & honorem quæſitum & quærendum. Septimus, per ordinationem ab Epiſcopo nomina- *Caſus irreg. in jure expreſſi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

minatũ excommunicato, Schiſmatico, hæretico, depoſito, ſuſpenſo, interdicto, degradato; ſecus ſi toleratur adhuc ab Eccleſia. Octauus, recipiendo ordines ab eo qui renunciauit loco & dignitati, vel ab Italico, ſi recipiens ſit vltramontanus, & celebret. Nonus, recipiendo extra tempora, vel ante ætatẽ, ſi miniſtrat in ſuſcepti ordinis miniſterio, ſecundum aliquos. Decimus, miniſtrando ſolenniter in ordine ſacro non habito. Vndecimus, incurritur à ſuſpenſo, excommunicato vel interdicto ingerendi ſe diuinis, celebrando, vel faciendo aliquid attributum certo ordini, etiã minori, vt Acolitatus, ſi vt talis id faciat. Duodecimus, propter crimen, quo ſuſpenſus eſt à canone, ſi miniſtrat in ordine ſacro Decimus tertius, propter bigamiam. Decimus quartus, propter matrimoniũ contractum ab eo qui eſt in ſacris, vel habet votum ſolemne. Decimus quintus, per celebrationem vel cuiuſuis ordinis executionem in loco ſpecialiter per judicẽ interdicto. Decimus ſextus, propter corporis vitium. i. ſi quis eſt mutilatus aliquo membro, vel debilitatus: qualis eſt cæcus, vel habens manum aridam, vel aliud membrum inefficax, ſiquidem red-

datur

datur inhabilis, ad frangendum, vel contrectandum hoſtiã, vel calicem, vel ſcandalum generat propter deformitatem. Decimusſeptimus, propter illegitimitatem. Decimusoctauus, propter dilationẽ baptiſmi in adultis vſq; ad ægritudinem. nec eſt iſta irregularitas tollitur per baptiſmum. Decimusnonus, propter hæreſin. Viceſimus propter ſeruitutem. Addũtur & alij quidam caſus, ſed ſufficiat hos enumeraſſe.

Vt autem fuſius dicatur de irregularitate, quæ contrahitur per homicidium, vel mutilationẽ actualem, vel cùm quis operatur aliquid, quod ſit propriè horum cauſa, etiam abſq; peccato: Aduerte quod ſi effectus non ſequitur, nunquam incurritur irregularitas, quia ſola voluntas non ſufficit.

Irrgularitas, ex homicidio requirit effectũ.

Tres autem regulas ponit S Thomas ad diſcernendum, quando huiuſmodi irregularitas incurratur. Prima eſt, qui dat operam rei licitæ, adhibens diligentiam quam debet, & non excedens, nec habẽs voluntatem occidendi, vel mutilandi, non fit irregularis propter ſequens homicidium. Secunda eſt, qui dat operam rei licitæ non adhibens diligentiam, quam debet, vel exiſtens in culpa cõmiſſionis etiam leui, non autẽ leuiſſima, id

Irregularitas, ex homicidio ex tribus regulis dignoſcũtur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nota.

eſt omiſſionis, fit irregularis. Tertia, qui dat operam rei illicitæ, ſemper fit irregularis: ſub his plurima particularia eluceſcere poſſunt. Et aduerte quòd judex vel doctor in dubio non debet aliquem judicare irregularem, ſe ipſum tamen indubiè quiſque reputet.

Irregularitas ex homicidio quæ reſeruetur Pontifici.

Notandum quod quando irregularitas contrahitur propter occiſionem vel mutilationem juſtam, non eſt ea quæ admitti dicitur propter homicidium voluntarium, vnde ea non reſeruatur ſummo Pontifici, cùm reſeruatur irregularitas, in quam propter homicidium voluntarium quis incurrit.

Petens juſtitiã contra noxium non fit irregularis.

Prælati clerici qui petunt contra aliquem juſtitiam, cũ proteſtatione quòd non intendunt pœnam ſanguinis, non incurrunt irregularitatem, licet ſequatur effectus: nec qui proditionẽ vel proditorem reuelat, cum hac proteſtatione: ſecus ſi non proteſtatur: tamen inquiſitor tradens hæreticum judici ſæculari, licet inſtet vt comburatur, nõ fit irregularis: quia ſolũ eis prohibetur executio.

Vt autem melius intelligatur irregularitas, quæ incurritur ex homicidio, vel mutilatione in bello etiam juſto, notanda ſunt ea quæ ſequuntur. Primò,

Clericus

Clericus repellens vim vi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliter mortem euitare non poteſt, ſi occidat, non fit irregularis. Similiter ſi in bello juſto de licentia Papę exprimentis, quòd poſſit indifferenter pugnare, quenquam occidat. Secundò, ſi in bello iniuſto vtatur armis, vel præſtet auxilium, conſiliū vel fauorem, incutiendo timorem aduerſarijs, & occidatur quiſquā etiam nō ab ipſo fit irregularis. Tertiò, qui eſt in bello juſto cum armis defenſionis, hortans bellantes, intercedens pro eis, dummodo non occidat, nec mutilet, non fit irregularis: ſi ipſi pugnant, ſed non occidunt, nec mutilant, non ſunt irregulares: & ſi putat clericus, ſe occidiſſe potiùs quàm contra, cenſendus eſt irregularis, aliter non, niſi alij ſcirent certò ipſum occidiſſe.

Tria circa irregularitatem, ex homicid. in bello etiam iuſto notanda.

Si euitare poteſt mortē, fit irregularis per Cōc. Triſeſſ. 14. c. 7. de refor.

Cùm quis abſoluitur à peccatis, priùs debet abſolui ab excommunicatione, non tamen ab irregularitate diſpenſari, quæ ſecundum ſe peccatum non eſt, nec peccatum includit, vt excommunicatio: propter clericos tamen vtilis eſt hæc cognitio confeſſori.

Tribus modis tollitur irregularitas: aliqua

Tribus modis tollitur irregularitas.

aliqua per baptiſmum, ſi venit ex ſequela peccati proprij, non autem ſi ex bigamia, nec ex defectu natalium. Secundò, aliqua irregularitas tollitur per religionis ingreſſum, quæ ſcilicet non prouenit ex proprio delicto: talis enim poſſet promoueri ad ordines, ſed non ad dignitates: tamen facilitat diſpenſationem religio. Tertio modo, per diſpenſationem tollitur omnis irregularitas.

Nota.

Prælati mittentes ad ordines ſuſcipiendos ſubditos, vel Epiſcopus promouens, ipſo facto diſpenſant, ſi hoc intendunt.

Forma diſpenſandi ſuper irregularitate.

Forma conſueta diſpenſandi ſuper irregularitate, eſt talis. Ego diſpenſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, quam vel quas contraxiſti, propter talem vel talem cauſam: vel, Si contraxiſti, quando eſt dubium.

Hactenus de cenſuris Eccleſiaſticis, quantum ſatis eſſe diximus ad inſtituti opuſculi rationem: vbi non omnia quæ attinguntur, exactè tractanda, ſed confeſſarium dirigendum ſuſcepimus, vt non tantùm his quæ hic didicerat, ſed & alijs vbilibet lectis, bene vtendo officio confeſſarij melius ad animarum auxilium & Dei gloriam perfungatur.

LAVS DEO.

INDEX
Direc

AD Lectore
Præfatio
cauſa ſacra
De confeſſarij
primo de ſci
De poteſtate co
De bonitate co
De prudentia C
De ſecreto vel
De cura confeſſ
De his quæ præ
De interrogatio
ſufficiens pœ
De pœnitente i
dam.
Quomodo in ſa
de pœnitent
Quomodo cum
habeat confe
De fine huius ſa
Quomodo pœni
mendatione
Quomodo iuueta
tiæ augment
De confeſſarij

INDEX EORVM QVÆ IN Directorio continentur.

AD Lectorem. *Folio* 3.

Præfatio de ſubſtantia, fine & efficiente causa ſacramenti pœnitentiæ. *fol.* 7

De confeſſarij cura circa perſonam ſuam, ac primo de ſcientia confeſſarij. 9

De poteſtate confeſſarij. 12

De bonitate confeſſarij. 13

De prudentia Confeſſarij. 14

De ſecreto vel ſigillo confeſſarij. 16

De cura confeſſarij circa actum pœnitentis. 17

De his quæ præmittuntur confeſſioni. 18

De interrogatione, qua ſuppletur diſcuſsio inſufficiens pœnitentis. 22

De pœnitente iuuando ad contritionem habendam. 25

Quomodo in ſatisfactione pœnitens iuuetur, & de pœnitentiis iniungendis. 28

Quomodo cum his qui minori egent auxilio ſe habeat confeſſarius. 32

De fine huius ſacramenti. 34

Quomodo pœnitens à confeſſario iuuetur ad emendationem vitæ. 34

Quomodo iuuetur pœnitens à confeſſario ad gratiæ augmentum. 39

De confeſſarij cura circa abſolutionem. 42

IN.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX EORVM QVÆ IN appendicibus continentur.

IN appendices Directorij præſatio. 46
De Interrogatorio. 47
Circa primum præceptum, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. 48
Circa ſecundum, Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum 50
Circa tertium, Memento vt diem Sabbathi ſanctifices, ſub quo ferè præcepta Eccleſiæ. 51
Circa quartum, Honora parentes. 52
Circa quintum, Non occides. 54
Circa ſextum, Non mœchaberis: ad quod refertur nonum, Non concupiſces vxorem proximi tui. 57
Circa ſeptimum, Non furaberis, cui adiungitur decimus. 59
De ſuperbia. 60
De Gula. 61
De Acedia. ibid.
Interrogatorium breuius carmine redactũ. 22
Quædam de ſtatibus variis, & primò de Dominis temporalibus. 65
De Epiſcopis. 66
De peccatis judicum. 68
De Aduocato & Procuratore. 69
De Notariis. ibid.
De matrimonio iunctis. 70
De Sacerdotibus & aliis Clericis. 71
De Religioſis. 72

De Doctoribus
De Scholaſticis
De Mercatorib
De Medicis.
De proprijs rem
De remedijs v
Quomodo his ar
da.
De reſtitutione
Quis debeat reſt
Cui debeat fier
Quid reddendu
Quantum debea
Vbi, & quand
De ordine & m
De quibuſdam
excommunic
De effectibus ex
De peccatis exc
De peccatis,
dundant in a
De caſibus exc
bullacœnæ D
De alijs caſibus
De ſuſpenſione.
De interdicto.
De ceſſatione à
De irregularita

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Doctoribus. 73
De Scholaſticis. 74
De Mercatoribus & artificibus. 75
De Medicis. 76 De pueris. 77.
De proprijs remedijs peccatorum. Ibid
De remedijs vniuerſalibus. 82
Quomodo his armis vtendum ad vitia ſuperanda. ibid.
De reſtitutione. 84
Quis debeat reſtituere. 85
Cui debeat fieri reſtitutio. 87
Quid reddendum. 90
Quantum debeat reſtitui. 93
Vbi, & quando debeat reſtitui. 94
De ordine & modo in ſatisfactionib. tenẽdo. 97
De quibuſdam, quæ faciunt ad cognitionem excommunicationis. 99
De effectibus excommunicationis. 100
De peccatis excommunicatorum. 102
De peccatis, quæ ab excommunicatione redundant in alios. 103
De caſibus excommunicationis reſeruatis in bulla cœnæ Domini. 103
De alijs caſibus excommunicationis. 113
De ſuſpenſione. 127
De interdicto. 129
De ceſſatione à diuinis. 136
De irregularitate. 137

FINIS.

FRE

VSV S

EVCH

ME

R.P.CH

MADR

GO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE FREQVENTI VSV SANCTISSIMI EVCHARISTIÆ SACRAMENTI LIBELLVS.

AVTHORE,

R.P. CHRISTOPHORO MADRIDIO THEOLOGO SOCIETATIS IESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROEMIVM.

QVOD his turbulentis temporibus Hæreticorum impietas tam infeſto animo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum oppugnat, Chriſtiani nominis ſtudioſis, & IESV amatoribus mirum adeò videri non debet, cum Dæmones, à quibus Hæreticorum pertinacia corroboratur, nihil magis oderint, quàm hoc ſacroſanctum myſterium, in quo paſſio Chriſti perfectiſſimè repræſentatur: per quam Lucifer ſpoliatus fuit tyrannide qua toti humano generi ſuperbiſſimè dominabatur. Verùm Chriſtianos ac religioſos viros frequentationi huius myſterij adeò moleſtos eſſe, vt non deſinant (neſcio quo ſpiritu ducti) totis viribus, & magna pertinacia illam diſſuadere & impugnare tanquam periculoſam & ſuperſtitioſam, etiam cum ma-

gna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gna Eccleſia Dei, & piorum hominum offenſione, non poſſum non vehementer dolere, admirorque quo pacto non videant Sathanam non tam transfigurantem ſe in angelum lucis, ſed apertè inuidentem copioſiſſimæ gratiæ, quæ in tanto ſacramento nobis (cùm dignè ſumitur) liberaliſſimè communicatur, qua peſſimus nequiſſima eius tela extinguere, quibus nos continenter impedit ne beatitudinem illam, quam ipſe ſua ſuperbia perdidit, conſequamur. Nolo enim pro modeſtia Chriſtiana exiſtimare, viros, qui hanc pernicioſam doctrinam in Eccleſiam Dei diſſeminant, agi peruerſo iniquoq; animo. ſed forſan eiuſmodi zelo, quem non eſſe ſecundum ſcientiam planè me, per gratiam Chriſti, oſtenſurum confido in explicatione quæſtionis ſtatim tractandæ, ex qua frequentationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ex amore Chriſti vtiliorem, ac fructuoſiorem eſſe, quàm abſtinentiam ab ea ex irreuerentiæ metu, liquidò conſtabit. Chriſtus Dominus faxit, vt hanc

1. Cor. 18.

Epheſ. 6

Rom. 19

 veritatem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

veritatem omnes intuemur. Nobis certè non huius ſuſcepti laboris finem, quàm diuinæ gloriæ, ſalutiſque animarum rationem (qui vnicus eius ſocietatis Ieſu ſcopus) propoſitum profitemur. Hinc adeo Lectorem vehementer oramus, vt quæ in hoc libello placebunt, ea Deo bonorum omnium authori accepta referat. Si quæ verò diſplibebunt, animum voluntatemque noſtram, qui communi bono ſtudemus, attendat.

PROPOSITIO QVÆSTIONIS AGITANDÆ, CVM TRIBVS DOCVMENTIS REI EXPLICANdæ conuenientibus.

CAPVT I.

QUæstio igitur, quæ agitanda & diſſoluẽda proponitur eſt, An, ſi quis Sacramentum Euchariſtiæ ritè accipere poſſit, & ſine peccato nihilominus abſtinere, melius faciat frequenter accipiendo, quàm abſtinendo? Vt autem res tota pleniùs intelligatur, & à notioribus progrediamur, proponemus tria documenta, quorum primum erit.

Quamuis in perſonis deuotis, tam religioſis, quàm ſecularibus, & non nimis occupatis in ſecularibus prophaniſque negotijs, quæ mentem à Diuinis nimiũ auocant, laudabilis ac fructuoſa ſit quotidiana ſacræ Euchariſtiæ ſumptio, & id comprobet authoritas grauiſſimorum Doctorum tam veterum ſanctorum, quã

recentium Scholaſticorum, ac etiam firmiſſimæ rationes euincant (vt poſtea oſtendemus) vnde non ſint huiuſmodi homines vituperatione, ſed potius laude vel maxima digni. Nihilominus tamen non intendimus in hanc diſputationem adducere, quotidianam illam ſumptionem, ſed tantum aſſerere, Frequentationem communionis, ſaltem octauo quoque die, dignè accedentibus laudabiliorem, vtiliorem, & fructuoſiorem, quàm abſtinentiam à tali frequentatione eſſe.

Alterum documentum eſt, exceptis aliquibus caſibus, in quibus de ſententia doctorum ex præcepto quis communicare jubetur, quilibet poteſt reliquo anni tempore ſine peccato abſtinere à communione, etiam exiſtens in ſtatu, in quo poteſt laudabiliter communicare: quia tum cùm nulla aſtringatur lege, abſtinendo à communione non peccabit. Vnde cum dicitur laudabilius & vtilius eſſe frequenter communicare, quàm abſtinere, neutiquam intelligimus abſtinentes à frequenti communione aliquo propterea peccato obſtringi, ſed eos melius facere, qui ex amore frequentant, quàm qui ex timore ſe ſummouent, tametſi id ſine crimine facere poſſunt. Quia

tamen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tamen in re nos quidem aduerſarijs modeſtiores videri cupimus, qui nolumus reprehendere eos, qui ex tanti reuerentia ſacramenti, communione ſe abſtinẽt, ſed cum D. Auguſtino, & B. Thoma eos pro ſua fide agere ſinimus; cùm ipſi contrà, parum Chriſtianè & contra eoſdem Doctores, eos qui ex deuotione & amore ad tam ſalutiferum ſacramentum accedunt reprehendere & deterrere non deſinant.

Digne communicare quis dicatur.

Tertium documentum: Vt dicatur qs laudabiliter hoc Sacramentum accipepere, dignè accedat oportet. Dignitas autem hic tripliciter intelligi poteſt: primò pro quodam naturali valore, & condignitate (vt Theologicæ ſcholæ more loquamur) ſumentis hoc ſacramentum: & hoc modo nulla creatura, quamuis excellens, ne ipſa quidem beata Virgo dignè potuit hoc digniſſimum Sacramentum accipere. Quid enim eſt homo, aut alia creatura, vt cum Deo comparetur? aut quæ proportio finiti ad infinitum? Deinde poteſt dignitas accipi pro quadam perfectione virtutum ac donorum, & præcipuè reuerentiæ ac deuotionis, vt ſcilicet ille dicatur dignè accipere, qui cum quadam eminentia virtutum

& magna reuerentia & deuotione accipit, alioqui dicatur indignè accipere. Sed neque hæc dignitas ad dignam huius Sacranenti ſumptionem exigitur: Immò ſæpe in frequenti eius vſu à Deo illa donantur; Quum enim ſint dona Dei, in frequentatione huius tanti Sacramenti, & dantur, & augentur, vnde inquit Gerſon; Qui nolunt accedere ad hoc myſterium ſine talibus donis, ſimiles ſunt frigidis, qui nolent accedere ad ignem niſi prius ſunt calidi.

Poſtremò capitur dignitas pro diſpoſitione, quàm Deus requirit in homine, vt Euchariſtiam ſine ipſius offenſione accipiat. Et hæc nil aliud eſt in peccatore, quàm vel diligens peccatorum inquiſitio, ipſorumque deteſtatio, ac conſtans vitæ corrigendæ propoſitum, cum vera & integra omnium delictorum cō-feſſione: addendo inſuper, vt nullum ſuperiorum interdictum impediat vel in eo, qui non eſt ſibi conſcius admiſſi criminis, fides, quæ per dilectionem operatur. Et hæc eſt dignitas quæ exigitur, vti dignè quis ad hoc Sacramentum accedat. Qui verò ſine hac diſpoſitione accedit, procul dubio indignè accedit, & de

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de eo inquit Paulus: Qui indignè manducat judicium ſibi manducat; Illamq; diſpoſitionem deſiderat idem Paulus, quum ait, Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c. In hac etiam diſpoſitione includuntur omnia quæ ſacri doctores ad dignam Sacramenti huius ſumptionem requirunt: quod ſi in aliquibus ſuæ doctrinæ locis eximias quaſdam virtutes deſiderari videntur, eas non tanquam conducibiles exigere arbitramur, ſiquidem quo maior eſt recipientis diſpoſitio, eò benignius ſua dona liberaliſſimus Dominus confert. 1.Cor.23

Ex his illud efficitur, Imperfectionem virtutum & deuotionis, ac reuerentiæ diminutionem (quæ non excludit hanc dignitatem) non reddere hominem indignum ad ſumptionem huius Sacramenti, immò poſſe fructuoſè vtiliterq; accipere cum ea diminutione reuerentię ac deuotionis, quæ in ipſa ſumptione ſolent ſæpenumero vi Sacramenti donari & augeri.

Quàm grauiter peccent, qui indignè ad Euchariſtiæ Sacramentũ accedunt.

CAPVT II.

EXcellentiſſima huius Sacramenti dignitas nobis oſtendit, quam flagitioſum ſit ad illud ſine diſpoſitione & dignitate (juxta tertio modo dicta) accedere; quod & magis nobis conſtabit, ſi intenta mentis acie conſideremus in eo ſumi Chriſtum Deum, ac redemptorem noſtrum, qui cùm ſit ſumma æquitas, nihil æquè odit ac iniquitatem & pecca-
Sap. 14. tum. Odio enim ſunt Deo ſimiliter im-
Pſal. 5. pius & impietas ei⁹, vt inquit Sapiens. Et
in Pſalmis dicitur. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Et Dominus per
Ex. 23. Moyſen auerſatur impium. Et meritò
quidẽ. Quæ enim eſt, inquit Paulus, par-
2. Cor. 6. ticipatio juſtitiæ cũ iniquitate? aut quæ
ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Idem quo-
1. Cor. 11. que Paulus alibi docet, cùm ait: Qui enim manducat & bibit indignè, judiciũ ſibi manducat & bibit: id eſt, juxta gloſ-
Chryſoſt. ſam, ſua manducatione ſe dignum damnationis efficit. Et Chryſoſtomus: Sacrificium hoc (inquit) cibus eſt ſpiritualis. Sicut corporalis cibus dum ventrem

inuenerit aduerſis humoribus occupa-
tum, amplius lædit magiſque nocet; &
nullum præſtat auxilium, ita & hic ſpiri-
tualis cibus, ſi aliquem reperit maligni-
tate pollutum, magis eum perdet, non
ſui natura, ſed accipientis vitio.

Bernardus etiam de modo viuendi ad [*Bernar.*]
ſororem, ſermone de communione, ait:
Ergo quid manducat peccator, & quid
bibit: non vtique carnem & ſanguinem
ſpiritualiter ad ſuam ſalutem, ſed iudi-
ciũ ad ſuam damnationem: licet videa-
tur cum cæteris Sacramentum altaris
percipere. Et in eodem ſermone: Corpus
Domini ſine dubio eſt vita illis, quibus
Christvs eſt vita: illis verò eſt mors,
qui per culpam & ignorantiam ac negli-
gentiam membra ſunt diaboli. Ad hæc, [*Indigna*]
quàm graue ſit ſcelus, quantamque per- [*Eucha-*]
niciem indigna huius ſacramenti ſum- [*riſtiæ ſũ-*]
ptio ſecum afferat, inde colligitur, quod [*ptio Iu-*]
à ſanctis Iudæ proditioni comparatur. [*dæ pro-*]
Vnde B. Hieronymus in quadã epiſtola [*ditioni*]
ad ſacerdotes: Dic, inquit, quiſquis fue- [*ſimilis.*]
ris qui Sacramenta ſumis, qualiter cum [*Hieron.*]
eis labiis filiũ Dei oſcularis, quibꝰ, oſcu-
latus es labia meretricis? O Iuda filium
Hominis oſculo tradis? Et Beatus Au- [*Auguſt.*]
guſt. Non minus peccant, qui tradunt
Chri-

Chriſtum peccatoribus membris quàm qui Chriſtum tradiderunt crucifigentibus Iudæis. Traijciunt enim hi Chriſtũ in peccati locum, qui eſt in poteſtate dæmonum, ſicut Iudas tradidit ipſum manibus iniquis Iudæorum. Beatus

Remig. etiam Remigius: Væ, inquit, tradentibus Chriſtum ad crucifigendum, ſed Væ cum maligna conſcientia ſub Sacramento ſumentibus illum. Illi etſi non tradunt Iudæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipſum membris inimici ad ſumẽ-

Bernar. dum. Et B. Bernard. in ſermone de cœna Domini. Qui enim ſecundum carnem viuunt, & poſt carnalia euagantur, catena vitiorum competiti, cum Iuda proditore venenum accipiunt, ſpiritualis ſuſpendii laqueum incurrunt, grauiſſimè damnandi, tum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu, quòd reuera accipiunt, ſed eſſentia, non ſalu-

Beda. bri efficacia. Beda quoque ait: In ſempiternum væ homini illi, qui ad menſam Domini indignè accedit: ille enim in exemplum Iudæ, filium Hominis tradit, non Iudæis quidem peccatoribus, ſed peccatoribus membris, ſcilicet ſuis, qui Dominici corporis Sacramentum accipere temerariè præſumunt.

Com-

Comparatur etiam à Doctoribus indigna ſumptio peccato crucifigentiũ Chriſtum. Sicut enim crucifixiores Chriſti, qui ſponte ex anima charitate vitam ſuam pro ſalute hominum profundere volebat, ipſum malitioſè in ſuam perniciem occiderunt: ita & indignè communicantes paſſionis Chriſti memoriale, quod ipſe vt medicinam ſalutarem in peccatorum expiationem nimio amore reliquerat, quantum in ipſis eſt, euacuant; non ſibi ad ſalutem, ſed interitum ſempiternum ſumentes. Et quidem Iudæi, ſi Regem gloriæ cognouiſſent, nunquam vtique crucifiçiſſent. Tu verò, quoties indignè ſumis hoc ſalutare Sacramentum, quantum in te eſt, & ſciens, & volens, toties Chriſtum cruci affigis. Ad hæc, non niſi puros integroſque & ab omni peccati labe immunes, ad ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium accedere oportere, in Exodo ſignificatum eſt: cum Aaron eiuſque filiis præceptum fuit, ne tabernaculum teſtimonij acceſſuri ad altare, vt in eo domino thimiama offerrent, niſi priùs manus, ac pedes lauiſſent, ingrederentur. Quod ſi tanta corporis munditia ad altare thymiamatis acceſſuris ne-

Indigna communio peccato Iudæorum crucifigentium ſimilis.

Exod. 30

neceſſaria erat, nos, qui in lege gratiæ
ſumus, illotis animis ad Chriſti corpus
Leu. 11. ſumendum accedemus? Idem & in Leui-
tico præſignatur, vbi legitur: Si quis de
ſemine Aaron maculam habuerit, non
offerat Deo panes, neque ad myſterium
eius accedat. CHRISTVS etiam apud
Ioan. 13. Ioannem, corpus ſuum diſcipulis, niſi
priùs lotis eorum pedibus tradere no-
luit. Quare ſatis profectò declarauit, an-
tè prauos animorum affectus eſſe pur-
gandos, quàm ad ſacram ipſius corporis
Mat. 15. ſumptionem accedatur. Idque nobis ſi-
gnificare ipſum voluiſſe, inde colligitur,
quòd cùm non vetuiſſet diſcipulos ſuos
communes cibos illotis manibus ſume-
re, ad hoc Sacramentum non niſi lotis
pedibus, id eſt, prauis affectibus purga-
tis, eos accedere paſſus eſt. Quos quia
Iudas mundos ad illius ſumptionem fa-
cta externa pedum lotione, non habuit,
miſerrimum ſortitus eſt exitum: ſiqui-
dem laqueo ſuſpenſus, ad inferos, æter-
nis cruciatibus torquendus, eſt detur-
1. Cor. 11 batus: Et Paulus, quod periculum eos
maneat, qui impura mente Euchariſtiæ
Sacramentum accipere audent, memo-
rat.

Ideò

Ideo inter vos (inquit) multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Ex his, & aliis, quæ breuitatis cauſa prætermitto, ſatis conſtat, quam nefarium ſit ſcelus, tam dignum ſacramentum indignè ſumere. Hæc autem attuli, ne qui frequentationem illius reprehendunt, eos nos probare exiſtiment, qui obſcœno ore & immundo corde accedunt: cùm ipſos maximè vituperemus, & hortemur vnumquemque cum Paulo: Vt probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Probet ſe inquam, per veram contritionem, & integram ſuorum peccatorum confeſſionem; probet ſe per deterioris vitæ in vitam ſanctam, in vitam tanto hoſpite dignam mutationem. Neque enim in eo verſatur quæſtio, An impius & indignus frequentando hoc Sacramentum melius agat, quàm abſtinendo. Iam enim ex ſupradictis conſtat, eum non ſolùm non melius agere, verum iniquiſſimè agere, ſi vel ſemel accipiat. Sed quod hic quæritur, eſt. An exiſtens in eo ſtatu, in quo poteſt laudabiliter communicare, melius ac fructuoſius agat, frequentando talem communionem, quàm abſtinendo

ab

ab ea, & non niſi ſemel vel iterum, in anno communicando.

Argumenta aduerſariorum, & ad ea reſponſiones.

CAPVT III.

SIc intellecta quæſtione, nonnulli, qui ſibi religioſi videntur, rectius ac vtilius eſſe arbitrantur, à frequẽti communione abſtinere, quàm frequenter communicare: reprehenduntque vehementer eos, qui contra ſentiunt, quique ſacram ipſam communionem frequentant, ſuamque opinionem multis rationibus probare nituntur, quas nos ordine ſingulas proponemus, propoſitasq; diſſoluemus: ex quibus apparebit, quàm infirmo fundamento fulciantur, ad aſſerendum dogma adeò paradoxum, vt ferè idoneus author, ſiue priſcos patres maioresque, ſiue recentiores ſcriptores intuearis & conſulas, nullus inueniatur, qui hac in re non vehementer ab iſtis diſſentiat.

Prima contra frequentem cō- Sit igitur hæc prima ratio: Chriſtum Dominum ſemetipſum in Sacramento non niſi ſemel, idque in vltima cœna poſt inſtitutionem illius tradidiſſe: non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non debere igitur nos ad hoc ſacroſan- *munio-*
ctum myſterium tam frequenter acce- *nem ob-*
dere. *iectio.*

Ad quam reſpondetur: Agnum pa- *Reſpon-*
ſchalem figuram fuiſſe mortis Chriſti, *ſio.*
& huius ſacramenti: quatenus autem ſacramenti huius figura fuit, impletam fuiſſe in vltima cœna, cùm hoc Sacramentum Chriſtus inſtituit, ſuiſque omnibus Apoſtolis tradidit: & cùm ſtatim fuerit ſubſecuta mors, non oportuiſſe hoc ipſum eis iterũ tradere: quanquam reuera ex ſententia Chryſoſtomi *Chryſo-*
& Auguſtini, & aliorum grauiſſimorum *ſtom. ho-*
Doctorum, Chriſtus poſt reſurrectio- *mil. 19.*
nem duobus diſcipulis, quibus Emaus *in Mat.*
petentibus ſe comitem adiunxit, com- *Aug. 2.*
munionem tradidit, vbi Dominum illi *de com.*
in fractione panis agnouerunt. Verùm *Euange.*
ſatis hanc frequentationem probaſſe vi- *Luc 24.*
demus, cùm inter cœnandum inſtituto
iam Sacramento, datoq; diſcipulis ſuis, *Luc. 21.*
hortatus eſt eos, vt idem facerent. Hoc *1. Cor. 11.*
facite, inquit, in meam commemorationem. Quod & ipſi accuratè ſatis ſeruauerunt, & ex Apoſtolicis Actis, & ex Paulo mox oſtendemus.

Deinde vulgata illa producent exem- *Secunda*
pla *obiectio.*

pla: B. videlicet Marcum Euangeliſtam ſibi pollicem amputaſſe, vt ſacerdotio ineptus reperiretur, authore Hieronymo in prologo in Marcum. *Hieron.* Beatum etiam Franciſcum, alioſque ſanctiſſimos viros ob tanti reuerentiam Sacramenti ſacerdotium recuſaſſe. Beatum quoque Benedictum diu à Communione abſtinuiſſe. Ergo nos nocentiſſimos non debere ad illud tam audacter accedere.

Reſponſio Gerſonis. Sed facile eſt cum Gerſone Cancellario Pariſienſi reſpondere: Facta quorundam Sanctorum pia interpretatione venerari & admirari magis, quam imitari nos oportet: ſunt enim dona & vacationes in diuerſis, prout Spiritus ſanctus vult. Varia namque operatus eſt DOMINVS in ſanctis ſuis, in quibus ſemper vbiq; eſt mirabilis, ad commendationem diuerſarum virtutum.

Nam contra Diuus Gregorius 4. Dialogo narrat, Caſſium Epiſcopum Nanienſem, qui quotidianum ſacrificium *Gregorius.* Deo offerre conſueuerat, ſeque in lacrymis inter ipſa ſacrificiorum arcana mandabat, mandatum DOMINI accepiſſe, dicentis: Operare quod oporaris, non ceſſet pes tuus, non ceſſet

ma-

manus tua, natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam: Eumque poſt ſeptem annos ipſo Apoſtolorum natali, cùm Miſſarum ſolemnia peregiſſet, confeſtim migraſſe ad Dominum. Hinc igitur intelligi debet hanc Deo in vno, illam in alio placuiſſe virtutem. Cæterum etſi in illis ſanctis humilitas & modeſtia laudatur, qua Sacerdotium propter dignitatis magnitudinem recuſarunt, non inde ſequitur eos non frequenter communicaſſe: immò conſtantiſſimè credendum eſt, Beatum Marcum aliorum Apoſtolorum traditiones, & conſuetudinem naſcentis Eccleſiæ ſecutum fuiſſe, in qua frequentabatur communio, vt eſt in Actorum ſecundo capite, vbi legitur: Omnes fideles erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, communicatione, & fractione panis. Et hunc fuiſſe morem & diſciplinam ſurgentis Eccleſiæ, poſtea pluribus oſtendemus: Beatum quoque Franciſcum piè credere poſſumus, vt erat religioſiſſimus, frequenti communione vſum fuiſſe. Quòd ſi Beatus Benedictus legitur diu abſtinuiſſe à communione, id non eò feciſ-

Actor. 2.c.

ſe ex-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſe exiſtimamus, quod timeret ad hoc ſacramentum accedere, quo ſe, cùm inſtare mortem videret, tam piè ac religioſè communijt: ſed cùm in vaſtam ſolitudinem ſecedere decreuiſſet, vbi diu ab hominum ſemotus conſuetudine lauit, Sacramentum vti ſumptione non potuit, ſed ſpirituali tantummodo fruebatur. Cùm verò ad cœnobia communem cum aliis vitam acturus ſe contulit, non dubitamus, quin pro ipſius in Chriſtum deuotione ad priſtinam illius frequentationem redierit, qua ante diſceſſum ad eremum vſum eum fuiſſe conſtantiſſimè credimus. Quòd ſe aliter ſi res habet, non ideò frequens ſacræ Euchariſtiæ vſus reprehendendus eſt, quem tot ſanctiſſimi, ac doctiſſimi Patres verbis, rebusque geſtis ac moribus (vt poſtea docebimus) tantopere commendarunt.

Obiectio tertia. Aiunt præterea: Paulus monet, vt probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo e-
1.Cor. 11 dat, &c. Hæc autem probatio, quæ adhibetur, vt dignè quis accedat, & non ſibi iudicium manducet, difficilis eſt & peri-
Eccle. 3. culoſa: quia nemo ſcit vtrum amore, vel odio dignus ſit. Et: Qui amat periculum
Eccleſ. 2. peribit in illo. Ergo tutiùs eſt rarò, quam ſæpe communicare.

Iis, quę tertio documento poſuimus, hæc obiectio labefactatur. Probatio enim quam requirit Beatus Paulus in peccatore, eſt diligens conſcientiæ examinatio, & omnium mortalium peccatorum contritio, cum firma vitæ corrigendæ deliberatione, cumque integra eorundem confeſſione. Vel in iuſtificato, fides, quæ per dilectionem operatur, quam ſcholaſtici Doctores fidem formatam vocant. *Reſponſio.*

Certitudo dignitatis qualis requiratur.

Qui hoc ex animo fecerit, confidens magis CHRISTI gratiæ, quàm ſibi, ſatis probatus accedit. Neque enim in hac probatione certitudo aliqua ſupernaturalis deſideratur, qua ſe à peccato vacuum, vel Deo gratum eſſe cognoſcat: quia hæc habetur ſolùm per reuelationem: nec requiritur certitudo naturalis quæ habetur de neceſſariis vel contingentibus per experientiam cognitis: ſed ſatis eſt certitudo moralis, quæ ex probabilibus coniecturis exiſtit, qualis ſufficit in morali negotio, & actibus humanis, vt ait Philoſophus in Ethicis. Et hæc certitudo ſatis habetur per probationem iam poſitam: Nec ea probatio eſt adeo difficilis, ſi modo diligentiā adhibere quis velit. Quòd

ſi aliquo modo difficilis eſt, longè profectò difficilior eſt ei, qui ſemel tantùm in anno Euchariſtiam ſumit: cùm ex doctrina ſanctorum nulla via ſit ad bene ſe diſponendum facilior, quàm frequens huius Sacramenti perceptio. Ad illud Eccleſiaſtæ. Nemo ſcit vtrum amore, vel odio dignus ſit. Reſponderi poteſt primò, loqui eum de amore, vel odio finali: vt ex ſequentibus in eodem contextu colligitur: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Vel poteſt dici, neminem ſcire certitudine ſupernaturali, vt ſuperiùs dictum eſt, ſed certitudine morali facilè poſſe: & hæc per ſe ſatis eſt, vt quis probatus accedat; neque amat periculum qui ſic accedit. Nam ægrotus, qui de optimi & peritiſſimi medici ſententia cõſilioque accipit medicinam, neutiquam ſe periculo mortis exponit: ſed contrà potiùs optima ratione ſaluti conſulit, vitamque ſuam tuetur.

Obiectio quarta Auguſt. Obijciunt adhæc Auguſtinum in libro de Eccleſiaſticis dogmat. ita ſcribentem: Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec reprehendo. Ergò, ne ſe exponat periculo peccandi meliùs eſt abſtinere, quàm communionem frequentare.

Ad

Ad quam rationem primò dicimus, librum illum Eccleſiaſtic. dogmatibus multorum doctiſſimorum virorum iudicio ex Auguſtini officina non prodiiſſe, ſed ab Alcuino eſſe conſcriptum, vt colligitur ex Ioa. Trithemio, de ſcriptoribus Eccleſiaſt. Idque quàm verum ſit, vel ex eo intelligitur, quod ipſe Auguſtinus in multis locis ſuæ doctrinæ quotidianam ſumptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ vel probat, ad eamque Chriſtianos adhortatur, vel certè vnumquẽque agere pro ſuæ fidei deuotione permittit, vt poſtea planius oſtendemus. Sed ſit cuiuſuis ille liber ſiue Auguſt. ſiue Alcuini, certè illa aut bonitas, quam aduerſarij magni faciunt, tantum abeſt, vt noſtro propoſito aduerſetur, vt etiam maximè hanc, quam nos aſſerimus, veritatem confirmet Vbi enim dicit. Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo nec reprehendo: ſtatim ſubiungit: Omnibus tamen diebus Dominicis communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Ex quibus verbis, Dominicis ſaltem diebus frequentare communionem laudabilius erit, quam abſtinere, cum id ad nos ille author hortetur. Et hoc eſt, ꝙ

Reſponſio.

Ioan. Trithemius.

 præ-

præcipuè in propoſita quæſtione verſatur. Pręterea poſtquam hic dixit, Quotidie communionem accipere nec laudo, nec reprehendo, idem in Epiſtola ad Ianuarium ita ait: Si quiſquam dixerit nō quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius affirmat quotidie, faciat vnuſquiſque quod ſecundum ſuam fidem piè credit eſſe faciendum. Itaque ſi Auguſtinus non reprehendit quotidie communicantes, ſed, vt faciat vnuſquiſq; quod ſecundum ſuam fidem piè credit eſſe faciendum, ſuadet: quare tu tam facilè ac temerariè reprehendis eos, qui ex deuotione, & ſecundum ſuam fidem piè quotidie volunt communicare? Vt eodem argumento vtamur, quo Beata Catharina Senenſis vſa eſt, cùm cuidam tam frequentem communionem hac Auguſtini authoritate ſibi obiicienti coram multis (vt in vita ipſius ſcribit Beatus Antoninus) ita reſpondit: Ex quo Auguſtinus non me vituperat in dictis ſuis, quare vos Pater Reuerende, me vituperatis? Quod ſi Auguſtinus (vel quicunque alius fuit ille author) nec laudat, nec reprehendit quotidie communicantes id non ideo fit, quòd minus præſtet quotidie communicare. ſed quia cùm ſit

Auguſt. ep. 126.

Beata Cahtarina.

ea res ex his, quæ in vtramque partem torquentur, poteſt benè & malè cum fructu & cum pernicie ſumi: Vt enim eſt vita bonis, ita etiam mors eſt malis. Neque verò, ſi ex fide & deuotione quis ſumat, non bene & cum vberrimo fructu ſumit? Quare deſinant paſſim obiicere huius Doctoris authoritatem, qui cùm apertè contra ipſos faciat, noſtramque veritatem confirmet, vel in hoc iſti ſuam inſcitiam, vel deprauatum affectum produnt Quantò rectiùs agerent ſi diſcuſſis iam falſitatis tenebris, præſente hac veritatis luce, nobiſcum, imò verò cum omnibus Orthodoxis Catholicisque Doctoribus ſentirent, ac omnes vnà cum eximio illo Doctore hortarentur, vt dominicis ſaltem diebus communicarent, guſtarentque quàm ſuauis eſt Dominus. *Obiect. 5.*

Adducunt etiam aliqui contra frequentem communionem illud B. Bonauenturæ de profectu religioſorum. Vix aliquem videri ita factum eſſe, cui non ſufficiat ſemel in ſeptimana ex conſuetudine communicare. *Bonauentura lib. 2. c. 18.*

Ad quod reſpondemus primùm. Beatum Bonauenturam non improbare hic ſemel in hebdomada communionem, *Reſponſio.*

quod propoſito noſtro ſatis eſſet. Affirmamus deinde ijs verbis frequentiorem communionẽ minus reprehendi, ſi ſubſit aliqua cauſa, cùm ille dicat: Sufficere ſemel in hebdomada communicare, niſi ſpecialis cauſa, vel ratio ſæpius ſuadeat: ſed tantum communionem ex conſuetudine magis, quàm ex deuotione frequentatam, diſſuadere videtur. Et hanc eſſe huius Doctoris ſentẽtiam ex eo perſpicimus, quòd paulò poſt mirificis ſacroſanctæ Euchariſtiæ effectibꝰ enumeratis, ſubiungit: Salubre tamen eſt (inquit) & vtile, ꝙ homo ſæpe ſe ad illius medicamenti ſumptionem præparet, & quanto deuotius valet, illud percipere ſtudeat, &c. Et poſt pauca: Et licet (inqr) tepidè, tamen confidens de miſericordia Dei fiducialiter accedat. Hæc ille. Vnde ſatis conſtat ex ſententia huius viri, etſi ſatis ſit ſemel in hebdomada cõmunicare, non tamen cuiquam bene parato frequentiorem communionem vetitam eſſe: Vt ſi peritus medicus alicui ſano diceret, ſatis ei fore, ſi bis in die comedat, non hinc vetaret, ſi is ſanus indigentiam cibi, ad eumq; in aliam ſubſtantiam conuertendum vim concoquendi idoneam ſentiret, ter in die comedere, cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

re, cùm id etiam magno cum fructu & emolumento fore perſpiceret. Quare ſi ad præſtantiam dignitatemque Sacramenti, & ad noſtram tenuitatem atque indignitatem reſpiciamus, ſatis erit nobis non dico ſemel in hebdomada, ſed ſemel in vita communicare. Si verò Chriſti benignitatem & liberalitatem vltrò ad hoc ſacrum conuiuium nos inuitantis attendamus, non eſt, cur frequenter accedere timeamus, dum probati (vt diximus) accedamus.

Sexta obiectio.

Adhuc contradicent, Tutiorem viam ſemper eſſe tenendam. Cùm autem in communione ſpirituali nihil, in ſacramentali verò (quod magna probatio & puritas deſideratur) multum inſit periculi, ſatiùs eſſe ſpiritualiter ſæpe, Sacramentaliter rarò communicare.

Reſponſio.

Hæc ratio ſi aliquid probaret, etiam illud probaret, Euchariſtiam nunquam eſſe ſumendam: ſemper enim periculum timeretur; Quo quid dici poteſt abſurdiùs; Diuus verò Bonauentura hoc argumentum ita refellit: Etiam ſi ſit ſecurius communicare ſpiritualiter, quàm Sacramentaliter: eſt tamen vtilius communicare Sacramẽtaliter. Poteſt & aliter obiectio dilui, ſi negetur ſecurius eſſe

ſpiritualiter quàm ſacramētaliter communicare : Immò æquæ tutum id eſſe contendimus : quia diſpoſitio interior, quæ ad dignam ſumptionem ſpiritualem requiritur, eadem ad dignam ſumptionem ſacramentalem ſatis eſſe putatur : propterea quod, vt dignè ſumatur ſpiritualiter, conſcientiam cuiuſuis capitalis criminis expertem eſſe oportet; & hoc ſatis eſt ad dignam ſumptionem Sacramentalem, ideoque eſt æqualis ſecuritas: quia diſpoſitiones exteriores, quæ requiruntur, vt ieiunium, & alia, ſatis certæ ſunt, & a periculo vacuæ Pręterea dicimus eſſe non ſolum æquè tutum communicare Sacramentaliter, ſed etiam magis, vt inquit Adrianus. Si quidem frequentius accedendo virtute operis operati Sacramenti, ſæpe quis, cum alioqui peccatis reus eſſet, potiꝰ veniam peccati aſſequitur, quam ex ſumptione nouo ſe peccato obſtringat: dum tamen ſe, vt dignè ſumat, diligenter inſtituere, & præparare contendat. Illud namque cenſetur minùs ſecurum, vbi regularius accidit detrimentum : vt in ſpirituali ſumptione contingit, in qua non confertur ea gratia, quæ in ſumptione Sacramentali vi ipſius Sacramenti percipitur.

Adrianus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur. Nec dicendus eſt quis periculo ſe mortis exponere, vbi remedia adhibet, ex quibus ſe conſecuturum ſanitatem veriſimili poteſt coniectura colligere. Vt ergo is, qui ſe peritiſſimis medicis credit, etiam ſi mors conſequatur, periculo ſe mortis obiicere dicendus no eſt: ita qui digna priùs cura diligentiaque adhibita, de conſilio Pauli communicat, ei periculoſa eſſe communio dicenda non eſt.

Addunt præterea, Qui frequenter cō-municat, ſuum commodum ſpectat: qui verò ex reuerentia abſtinet, Dei gloriam & dignitatem Maieſtatis attendit, ad quam ex humilitate veretur accedere: præſtat autem gloriam Dei, quàm ſuum commodum cogitare: ergo melius eſt abſtinere, quàm frequentare. *Septima obiectio.*

Ad hoc nos ita reſpondemus Vt negemus qui communicat Sacramentaliter, eum ſuo commodo tantùm atque vtilitati conſulere. Immò verò multo magis diuinæ gloriæ rationē ipſum habere cō-tendimus. Dum enim ad hoc Sacramentum accedit, refert ſummam Dei charitatē, qua pro nobis dignatus eſt in cruce pati: refert ſummam potentiam, qua tam mirabiliter in tam parua Sacramē- *Solutio.*

ti ſpecie nobis præbere voluit : refert infinitam bonitatem, qua ſe nobis indignis in refectionem animæ donare placuit cibum vitæ: refert denique ineffabilem ſapientiam, vt nos eo ordine quo ab innocentiæ ſtatu excidimus, repararet. Vnde inquit Innocentius: Panē Angelorum manducauit homo, quatenus vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.

Inno-cent.

Octaua obiectio

Deinde dicunt: Non eſt frequenter accedendum ad communionem, ne ex frequētatione ad contemptum tam pretioſi muneris veniamus. Nimia enim familiaritas (vt vulgo dicitur) parit contemptum. Ergo rarius eſt accedendum vt reuerentius accedatur.

Solutio.

Reſpondetur. Et ſi apud vulgares homines familiaritas ſolet parere contemptum, inter ſapientes tamen ac perfectos longè aliter euenit. Quo enim magis alicuius virtutes præſtantiamq; perſpiciunt, tantò magis eum admirantur ac venerantur. Sed cùm pro conditione huius miſeræ vitæ nullus adeò ſapiens atque perfectus inueniatur, quin aliquo defectu, qui per nimiam familiaritatem ſeſe prodit, laboret, eo fit, vt aliquando ex nimia familiaritate opi-

nio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nio de aliquo & exiſtimatio minuatur. Ad contemptum autem nunquam ſapiens deueniet ob quoſcunque defectus, cum nemo ſit, qui ſine peccato viuat. Ioannis teſtimonio, qui ait: Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Verum cum Chriſtus Deus ac redemptor noſter infinita ſit perfectione, & bonitate inexplicabili, quas nos ob noſtræ intelligentiæ imbecillitatẽ, noſtræque virtutis anguſtias capere non poſſumus, per contemplationem & vſum huius adorandi Sacramenti propius ad illarum cognitionem accedimus, & quò frequentius illud accipimus, eò planiùs Chriſti bonitatem ac beneficia nobis per ipſum collata perſpicimus. Vnde tãtum abeſt, vt hæc familiaritas contemptum pariat (ſi ex fide & amore eius accedimus) vt etiam per illam infinitum diuinæ perfectionis, ac excellentiæ pelagus penetrantes in ardentiſſimum illius amorem, deuotionem, cultumque rapiamur, ac toti venerabundi intima animi ſubmiſſione tam immenſam Dei ac Chriſti noſtri liberalitatem bonitatemque adorantes, proſternamur. Si enim Angeli, qui perfectiſſimè Deum cogno-

1. Ioh. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cunt, cum quo familiariſſimè aſſidueque verſantur, continenter laudant eius Maieſtatem, quam adorant Dominationes, ac tremunt poteſtates, Cherubin quoque ac Seraphin non ceſſant quotidie clamare, dicentes: Sanctus, San. Sa. quomodo nos ſi tanti myſterij ratione deprehenſa, perſpectaque, frequenter acceſſerimus, tantorum bonorum largitorem ac benigniſſimum redemptorem contemnemus? & non magis eius Maieſtatem, quanta maxima poſſumus reuerentia, & religione adorabimus, & ſummam ſingularemque bonitatem ac benignitatem amplectemur?

Octaua obiectio. Atqui rurſus obiicient, Videmus eos, qui frequenter communicant, ſecularibus negotiis eſſe diſtrictos, parumque in via Domini progredi: neque ſuam vitam excolere melioribus & honeſtioribus moribus: quæ res vel maxime populum Dei poteſt, ac ſolet offendere; cùm potius (vt monet B. Auguſtinus) *Auguſtinus.* deberet mutare vitam, qui vellet accipere vitam.

Reſponſio. Sed reſpondetur, Experiētia compertum eſſe, in eis qui hoc diuinum myſterium ex fide & deuotione frequentiam, miri-

mirificam fieri vitæ morumque mutationem: cùm luxuriam, impudicitiam, ambitionem, ſuperbiam, auaritiam, alioſque humanæ vitæ morbos ex animis euellant, & in eorum vitiorum locum contrarias virtutes inſerant, temperantiam caſtitatem, humilitatem, liberalitatem patientiam, rerumque mundanarum contemptum. Quod ſi aliqui earum rerum amore capti, & humanæ vitæ illecebris deliniti & inanib. curis oppreſſi, hanc ſacram communionem frequētant: id euenit, quia hos nō fides, aut erga Deum charitas, ſed potius hypocriſis, vel auaritia ducit: Quales ſanè, ſi modò ſint Catholici, pauciſſimos credimus inueniri. Si verò frequentantes communionem aliquando in aliquod peccatum quamuis lethale inciderint, non propterea debet reprehendi ſancta communio, quæ tam vberes nobis parit fructus, cùm id vel ab ignorantia, vel à noſtræ naturæ imbecillitate proficiſcatur. Neque enim propterea quod frequenter quis communicat, ſtatim eſt confirmatus in gratia, vt amplius peccare non poſſit: ſed libera in eo vel benè vel malè agendi facultas ſeruatur. Petrus enim accepta communione ab ipſo Chri-

ſto, ea ipſa nocte negauit illum, iureiurando affirmans atq; anathematizans, ſe illum non cognouiſſe. Diſcipuli verò omnes eadem ferè ipſa hora qua cōmu-
1. Pet. 5. nionē acceperant, relicto Chriſto, quem vſque ad mortem conſtantiſſimè ſeſe ſecuturos & nunquam negaturos promiſerant, ſuæ fidei & promiſſionis obliti fugerunt. Permittit namque ſuos aliquando Deus labi, vt ſuam imbecillitatem agnoſcentes, ſub omnipotenti manu eius humiliētur, & ad ipſum alacrius & ardentiùs conuertantur. Vnde, inquit
1. Cor. 13 Paulus Cùm infirmor, tunc potens ſum.
Pſal. 82. Et in Pſalmo dicitur, Imple facies eorū ignominia, & quærent nomen tuū Domine. Quid ſi alicui à communione ad ſeruilia opera, ſeculiariaq; negotia honeſta tamen atque legitima, & animum non multum à ſpiritu auocantia (de his enim loquimur) ſe referunt, eos minime reprehendendos eſſe exiſtimamus, cùm in hominibus ſimplicibus & vulgi opinione abiectis, Spiritus ille diuinus dignum ſibi habitaculum, in quo requieſcat, ſæpiſſimè parare dignetur.

Nota. Obiectio. Inſtabunt adhuc, & dicent, Si frequens communio eſſet adeò vtilis & fructuoſa, ab Eccleſia certè ea induceretur, & in religio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ligionibus, & Cœnobijs inſtitueretur, ac vſurparetur. Sed nihil tale præcipitur ab Eccleſia, nec in religionibus præſcribitur. Ergo non videtur adeo vtilis.

Ad quod reſpondetur, Initio naſcentis eccleſiæ, in qua vigebat charitas eam fuiſſe per multa tempora conſuetudinẽ, vt quotidie, vel frequenter communicarent: vt patet ex Act. Apoſt. & vt paulò poſt ex Hieron & alijs oſtendemus. Anacletus etiam Papa inſtituit ac præcepit, vt omnes fideles peracta conſecratione communicarent: recuſantes autẽ, Eccleſiaſticis luminibus prohiberentur. *Solutio.* *Act. 2.* *Anaclet*

Deinde decretum fuit in Eccleſia, vt ſingulis Dominicis communicarent. Poſtea verò tepeſcente charitate; Fabianus Papa ſanciuit, vt ſaltem (vt eſt in tit. de conſecr. diſt. 2. c. & ſi non frequentius, &c.) ſeculares ter in anno communicarent, in Paſcha, Pentecoſte, & Natiuitate, Demum frigeſcente jam charitate, & penè extincta. Innocentius tertius edixit, vt ad minimum ſemel in anno communicarent, idq; in Paſcha. Vbi eſt præcipuè aduertendum, quod quamuis Eccleſia à Spiritu ſancto gubernata toties præceptum communicandi pro temporum conditione mutauerit, nunquam *Fabian.* *Innocẽt. 3. extra de pœn. & remiſ. c. omnis.*

tamen

tamen frequentius communicare prohibuit, ſed potius ne prohiberetur, prohibuit: vt eſt in tit. de conſe diſt. 2. c. Non prohibeat. Quod nos poſtea adducemus. Quod ſi hac noſtra ætate antiquus ille & laudabilis mos frequentius communicandi à Chriſti fidelibus renouatur, certè amatores paſſionis eius & diuini cultus, & Chriſtianæ pietatis ſtudioſi deberent ingentes Deo gratias agere, ſi qd Chriſtianum ſaperent, quod aliqua jam felicis illius naſcentis Eccleſiæ ſpecies apparere, & extincta penè charitas excitari, ac reuiuiſcere per fidem ac deuotionem ad hoc præclarum & illuſtre Sacramentum inciperet. Ad id autem quod de Religionibus dicitur, nos reſpondemus, In omnibus verè probatis religionibus morem eſſe, vt omnes ſacerdotes quotidie, aut certè frequentiſſimè communicent. De Diaconis autem, & Laicis, earum aliquę ſtatuerũt, vt ſingulis hebdomadibus, & aliæ vt ſingulis menſibus communicent; neq; prohibent frequentius accedere, ſi quem animaduerterint fide & deuotione duci, facta conjectura ex moribus & vita. Quod ſi aliquibus ita frequenti communione interdicatur, piè credendum eſt, illos humilitate, vel

aliqua

aliqua honeſta ratione duci, vt pericu-
lis, quæ aliquando à malitia hominum
proficiſci ſolent, prouideant: quod ta-
men non eſt adducendum pro vniuerſa-
li documento, cùm innumerabiles Pa-
tres, ac religioſi viri ad frequentationem
communionis ſæpe monachos adhor-
tentur: in quibus eſt Beatus Apollonius, *Apollo-*
qui (vt eſt in vitis Patrum) monebat, vt ſi *nius.*
fieri poſſet, Monachi quotidie commu-
nicarent: ne ſi quis longè ſe à Sacramen-
to ſubtraxiſſet, ſubtraheretur à Deo. Et
Diuus Hieronymus, qui in regula ad Eu- *Hieron.*
ſtochium, cap. 19. idem facit, vt ſuo loco
docebimus.

Affirmabant quoque, abſtinendum *Decima*
eſſe à frequenti communione, quod ex *obiectio.*
ea (vt ipſi putant) reuerentiæ, & erga tan-
tum Sacramentum cultus imminutio
ſequatur; & ex ſententia Doctorum, illi,
qui diminutionem reuerentiæ ac deuo-
tionis in frequentatione Euchariſtiæ
ſentiunt, debent abſtinere, vt poſtea re- *Reſpon-*
uerentiùs, religioſiuſque accedant. *ſio.*

Ad hoc nos dicimus, D. Thomam in
4. ſent. diſtinct. 12. (vnde aduerſarij mate- *Commu-*
riam objectæ rationis ſumpſerunt) ita *nicantis*
ſcribere: In hoc ſacramẽto duo requirũ- *requiſi-*
tur ex parte recipientis, ſcilicet Deſide- *ta.*

rium

rium conjunctionis cum Chriſto, quod facit amor, & reuerentia Sacramenti, quod pertinet ad donum timoris: Primum horum incitat ad quotidianam huius Sacramenti frequentationem, ſed ſecundum retrahit: ſed ſi aliquis experientia comperiſſet ex quotidiana ſumptione augeri amoris feruorem, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: ſi autem ſentiret per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet aliquando abſtinere, vt poſtmodum cum maiori reuerentia ac deuotione accederet. Vnde quantum ad hoc, vnuſquiſque judicio ſuo relinquendus eſt. Ex quibus verbis Thomæ, cùm dicit: Si quis ex quotidiana ſumptione ſentit in ſe augeri amoris feruorem, & reuerentiam non minui, debet quotidie communicare: colligitur falſò illud dici: Qui frequenter communicat, ſemper diminutionē deuotionis, & reuerentiæ ſentiet. Alioqui diſtinctio D. Thomæ eſſet nulla, ſi nemo id augmentum ex frequentatione ſentiret.

Quæ ſententia præterquam quod temeraria eſt, & contra mentem tanti Doctoris, innumerabiles etiam religioſos

ac ſeculares homines damnaret, q quotidie aut frequenter cum magno (vt credendum eſt) fructu & deuotionis augmento communicant. Deinde cuperem ex te ſcire: vnde noſcas eos, qui quotidie communicant, tale deuotionis augmentum non ſentire? cùm & ipſi dicant ſe illud experiri, ac ideò frequenter accedere; & D. Thomas vnà cum Auguſtin. moneat, vnumquemque relinquendum eſſe ſuæ diſcretionis judicio? Quòd ſi tale augmentum non ſentis, abſtineas in domino, nemo certè moleſtus tibi erit: tu modò alios ſuæ diſcretionis judicio relinquas, & tam cœleſti dono, & interna conſolatione frequenter gaudere permittas: Prætereà cum D. Thomas ait: Qui ſentiret per talem frequentationẽ reuerentiam minui, & deuotionem non augeri, debet aliquando abſtinere, non dicit: Debet abſtinere per annum, vel per menſes, aut aliquod longum tempus: ſed aliquando, id eſt tantiſper, dum ſe præparat, vt reuerentiùs deuotiuſq; accedat. Ad quam præparationem non requirũtur anni, vel menſes, ſed quoduis tempus quantũ breue ſatis erit. Non enim temporis longitudo facit hominem reuerẽtem vel deuotum, ſed tum præparatio

per

per conſiderationem tantæ maieſtatis, ſuæque propriæ vilitatis, & indignitatis cognitionem, tum vitę deterioris in vitá meliorem mutatio. Quod ſumma quadam cum pietate nos docet B. Ambroſ. cum ait: Sic viue vt merearis quotidie accipere, q nō meretur poſt annū accipere. Aduertendum tamen eſt quamuis D. Thomas fuerit in ea ſententia, probabili quidem, & quæ minimè contra veritatem noſtram faciat, eſſe tamen multos alios doctiſſimos viros, qui ita aſſerant, quamuis aliqui non ſentiant argumentum deuotionis, ac reuerentiæ, immo diminutionem potius (dummodo abſit cōtemptus) nō debere hos propterea à frequenti communione abſtinere: quia inſignis & ſingularis deuotio ac reuerentia, non ſunt neceſſariæ ad dignam ſumptionem, vt in tertio documento planū fecimus. Vnde B. Bonauentura in rebus ſpiritualibus verſatiſſimus & in primis deuotus, de hui' ſacroſancti myſterij frequentatione loquens, ſanè quàm piè ac religioſè nos admonet: Et licet (inquit) quandoq; tepidè, tamē confidens de miſericordia Dei, fiducialiter accedat. Quia ſi ſe indignum reputat, cogitet qꝫ tanto magis

Ambroſ. lib 5. de Sacram. c.4.

B. Bonauent. lib 2. de profectu religioſor. cap. 87.

magis eget & neceſſe habet requirere medicum, quanto magis ſenſerit ſe ægrotum. Non enim eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. Neque ideo quæris te jungere Chriſto, vt tu eum ſanctifices, ſed vt tu ſanctificeris ab illo. Et ſubjungit: Neque propterea prętermittenda eſt ſacra communio, ſi quandoque non ſentit homo ſpecialem deuotionis gratiam, cùm ſe ad illam præparare ſtudet: vel in ipſa perceptione, vel poſt fortè minus deuotum ſe ſentit quā vellet. Vides quanta verborum pietate nos Doctor hic doceat, prætermittendam non eſſe communionem, quamuis in ipſa perceptione, vel poſt, tepidos & minus deuotos nos ſentiamus, cùm ad eam nos præparare ſtudemus: Nimirum propter multiplicem virtutum & donorum gratiam, quæ in ipſa perceptione ab omnipotente Deo nobis benigniſſimè conferuntur. Quod ſi ſæpe à nobis ea non ita perſpiciuntur, ac ſentiuntur, non propterea minus à DEO tribui dicere poſſumus. Nam (vt ſapienter Beatus Laurentius, Iuſtinianus ſcribit) quemadmodum corporalis cibus nos alit, etiamſi non ſentiamus: ita Euchariſtia, nobis quandoque non ſentien-

Laurent Iuſtin.

tien-

tientibus, gratiæ incremento & multorum munerum copia diuinitus animam reficit atque coroborat. Quare non ſequitur illud, quod ab aduerſarijs ſignificari videtur, eam videlicet gratiam & dona minus conferri, quod aliqui in Euchariſtiæ ſumptione illa non ſentiunt.

Vndecima obiectio. Poſtremò inſtant: Qui rarò accedunt ad hoc Sacramentum, magna cum deuotione accedunt; qui verò ſæpè, frigidè & indeuotè accedunt, ex quadam potius conſuetudine, quàm ex deuotione: vt videmus in multis ſacerdotibus, qui ex obligatione, aut ſpe lucri celebrant, adeò irreuerenter & indeuotè, ac ſi agerent quoduis aliud opus quantumuis profanum, in ſuam perniciem, magnamque offenſionem populi Chriſtiani. Quare liquidò conſtat, melius eſſe rarò ad communionem, quàm frequenter accedere.

Solutio. Hoc verò quod aduerſarij pro firmiſſimo ſuæ objectionis fundamento conſtituunt, nos vt falſum omnino reijcimus: negamuſque eos, qui rarò accedunt, cum magna deuotione accedere; eos verò, qui frequenter communicant, frigidè, & indeuotè communicare: cùm contrarium ferè quotidiana experientia verius eſſe comperiamus. Videmus enim

enim frequenter accedẽtes, multis cum lachrymis ſuſpirijſque accedere, quæ ſatis indicant eos ex fide & in Chriſtum amore accedere: cum è contrario eos, qui raro vel ſemel in anno communicant, frigidè & ſine guſtu magiſq; ex conſuetudine ſemel in anno communicandi, quàm ex vero cordis affectu & amore in Chriſtum Saluatorem noſtrum, qui ſolus excitare poteſt in pectoribus noſtris ſpiritum deuotionis, & compunctionis, communicare videamus. Et quia aduerſarij in hac ratione magnum diſputationis ſuæ robur, velut in tutiſſima arce ponunt, non grauabor argumentum hoc paulò latius explicare, vt ipſi (ſi velint ſanis oculis intueri) perſpiciant, quàm infirmo argumento & ratione nitẽtes, tam infeſto animo rẽ à doctiſſimis & religioſiſſimis quibuſque viris nunquam ſatis pro dignitate laudatam & comprobatã vituperet. Ac primò dicimus, nos nõ probare, imò maximè vituperare mercenarios Sacerdotes, qui nulla tanti Sacramenti deuotione ac reuerentia, & tantùm ſpe lucri celebrant in dedecus Sacerdotalis dignitatis, in quorum promotione ſi ſeruarentur Eccleſiaſtici Canones, ſatis eſſet huic malo prouiſum.

Verùm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Verùm vehementer horum hominum miror pietatem, qui propter Sacerdotis vitium tanto ſtudio, damnant rem omni laude dignam; & quia aliqui indignè accedunt ad hoc ſacroſanctum ac venerabile Sacramentum, ideo frequentem illius vſum ſine diſcrimine periculoſum affirmant; quaſi vero non eadem ratione contra eos dici poſſet, illius vſum vel ſemel tantùm in anno improbandum eſſe quia multi peccatorum maculis inquinati, quales ſunt concubinarij, fornicatores, vſurarij, vel alijs vitijs obſtricti, ad illud impiè accedunt, ne ſcilicet minus religioſi, minuſque Chriſtiani videantur, non autem pietate, odioq; peccatorum adducti. Sed abſit vt rem tam vtilem, ac fructuoſam ob malè vtentium impietatem damnemus. Alioqui nónne eodem argumento iſti quotidianum vſum panis & vini periculoſum probarent eſſe, quia multi illis abutuntur, dum aut ebrij fiunt, aut ſe epulis ingurgitant: Nonne eadem ratione Theologia, & aliæ honeſtæ diſciplinæ malæ eſſent, quũ tam multi eas ad ſuam & aliorum peſtem, perniciemque conuertant? Vitium igitur paucorum, quod non ex ipſa re, ſed ex praua ipſorum voluntate oritur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non debet in argumentum ad improbandam ſanctæ Euchariſtiæ frequentationem adduci : præſertim apud pios & religioſos homines, qui magna cum deuotione, & non minori cum fructu ad illam accedunt. Quòd ſi dimiſſis paucis illis mercenarijs ac perditis hominibus, ad alios Sacerdotes tam religioſos, quàm ſeculares reſpiciamus, quis non videt quanto cum fructu ac deuotione hoc myſterium frequenter celebrent? Si verò dimiſſis prebyteris, velimus conuertere oculos ad laicos, religioſaſq; ac ſeculares fœminas, quis non eorum, in accedendo ad hoc venerabile Sacramentum deuotionem, pietatem, atque religionem ſuſcipiat? cùm præſertim illorum facies vberrimis perfuſa lachrymis hæc eadem ſæpe teſtetur? Qua enim alia vt quiſquam ad opus tam arduum ac laborioſum, niſi religione & Chriſti amore impelleretur? Quanto verò cum fructu accedant, nôrunt qui accipiunt. Eſt enim hoc manna illud abſconditum, & calculus candidus, in quo ſcriptum eſt nomen nouum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Certè ex vita & moribus illorum ſatis perſpi- *Apoc. 2.*

ſpi-

ſpicitur, quantum in eius frequentatione proficiant Quòd ſi nonnulli ex conſuetudine vel hypocriſi magis, quàm ex deuotione ad hoc ſacrum myſterium frequenter accedũt, & propterea frigidè & indeuotè accedunt, admonere aduerſarios volumus à nobis eiuſmodi homines nullo pacto probari aut defendi, quos in ſecundo capite grauiſſimis teſtimonijs ducti, extrema damnatione dignos, æterniſque ſupplicijs obnoxios conſtantiſſimè judicauimus An verò ita deprauato animo aliqui accedant, non facilè eſſe judicandum; ne, dum alios judicamus, noſmetipſos condemnemus. Si vero importunè adhuc obijcias, indignum eſſe, vt qui hoc digniſſimum Sacramentum frequentant, ſine reuerentia & deuotione accedant Nos tibi reſpondemus, ſi probati accedunt (de ijs enim in præſenti diſputatione loquimur) vtique ex fide, & ſpe & charitate accedent Fieri autem non poteſt, vt qui ijs virtutibus inſtructi accedunt, non etiam cum deuotione & reuerentia, tanquam illarum fructu, accedant. Quæ eſt multorum doctorum ſententia, & eorum maximè, qui Contemplatiui vocantur; quibus in hoc genere, vt

artis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

artis ſuæ peritiſſimis & exercitatiſſimis, ſumma fides adhiberi meritò debet.

Probationes ad confirmandum frequentem Euchariſtiæ vſum, tum ex Sacra ſcriptura, tum ex veteri Eccleſia iam inde ab Apoſtolorum temporibus conſuetudine, & auctoritate depromptæ.

CAPVT IV.

IAM verò, quoniam aduerſariorum objectionibus & argumentis ſatis eſſe reſponſum videtur; reliquum eſt, vt ad ipſam veritatem, quam tuemur illuſtrandam accedamus: hoc eſt, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ frequentationem, præcipuè ſingulis hebdomadibus (quod eſt noſtri, vt jam diximus, inſtituti) laudabilem, vtilem, maximeq́; fructuoſam eſſe, & ab omnibus doctis & Catholicis viris ſummè probatam & commendatam, immo non ſolum vtilem, ſed magis vtilem ac fructuoſam, quam abſtinentiam ab ea, cæteris paribus, ſine controuerſia eſſe. Quam doctrinam ſpero me per gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI, in magnam conſolationem frequenter accedentium ad hanc ſacram Synaxim, augmentumq́; deuotionis ipſorum, ita comprobaturum, vt nulla aduerſarijs tergiuerſatio relinquatur. Idque planiſ-

ſimum fiet tam teſtimonijs ſcripturarum, quàm Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, ac doctrina; communique ferè omnium ſanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum conſenſu, & firmiſſimis validiſſimiſque rationibus; quarùm permultæ probant frequentem vſum, non ſolum ſemel in hebdomada, verumetiam quotidie communicandi, præſertim in hominibus à vulgari communique vita ſemotis, & in negotijs ſecularibus ac profanis non multum occupatis. Fatemur tamen, in introducenda in populos fideles frequenti communione, rationem vel maximam temporum, locorum, & perſonarum habendam, vt ſine ſcandalo, rixa, & contentione, & cum quàm maximo poteſt fructu, atque ædificatione introducatur, atque recipiatur. Illud etiam affirmamus, in quibuſdam regionibus, vbi conſuetudo communicandi non viget, vſum frequentis communionis differre ſatius eſſe, quàm cum puſillorum offenſione inducere: tantiſper tamen, dum & per verbi diuini concionatores, vel piorum hominum conſuetudinem tam præpoſiti, quàm ſubditi, bene de veritate

atque

atque vtilitate eius frequentationes edocti, eandem cum gaudio ac ſpirituali conſolatione recipiant: & alij aliorum exemplo ad ſalutiferam huius Sacramenti ſuſceptionem ducantur, & inuitentur. Cùm enim populus rudis, & ad diuina munera cognoſcenda tardus ſit, aliquorum magis exemplo, quorum cor tetigerit dominus, commoueri, quàm diſputationibus rationibuſque impelli ſolet. Cauendum etiam eſt, ne ab ea frequentia abſtinentes reprehendantur, vel irritentur, ſed potius in ſpiritu lenitatis edoceantur, & informentur. Quæ omnia (ne ſingula perſequamur) pio & prudenti diſpenſatori cognoſcenda, conſideranda & exequenda relinquimus.

Probationes ex veteri teſtamento.

Nunc tempus poſtulat, vt ad propoſitæ veritatis probatioem accedamus, Et quoniam in veteri Teſtamento hoc digniſſimum Sacramentum, à Spiritu ſancto multipliciter eſt deſignatum: non erit abs re, aliqua ex multis loca citare, quæ ſacri Catholicique Doctores ad illud retulerunt. Ex quibus probare poſſumus, quàm vtilis & fructuo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pſ. 101. ſa ſit illius ſumptio : vnde Dauid inquit: Percuſſus ſum vt fœnum , & aruit cor meum , quia oblitus ſum comedere panem meum , id eſt, ſacram Euchariſtiam ſumere. Quòd ſi ex obliuione & abſtinentia illius , tam miſeri ſequuntur effectus: conſentaneum erit, vt ex frequenti illius vſu optimi fructus percipiantur.

Idem etiam Dauid alibi ait : Vt ex-
Pſ. 103. hilaret faciem in oleo , & panis cor hominis confirmet. Quod etiam ſacri Doctores de Euchariſtia dictum interpretantur , cuius eſt hic ſingularis effectus, ac proinde conſtat, quàm expediat illam frequenter accipere.

Sapientia quoque clamat: Venite, comedite panem , & bibite vinum , quod miſcui vobis. Quis igitur erit adeo inhumanus atque agreſtis , vt Sapientiæ tam liberaliter alioqui nos inuitantis , conuiuium quàm ſæpiſſimè adire recuſet? vnde præſertim ſit ſalutarem animę alimomoniam roburque relaturus

Ex 16. Manna etiam (quod perfectiſſimam
Pſal. 77 Sacramenti huius figuram fuiſſe ex tot ſacræ ſcripturæ locis conſtat) vtilem & fructuoſam eiuſdem frequentationem nobis eſſe , quamdiu in hac peregrinatione verſamur , oſtendit. Quid enim ſcriptu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſcriptura diuina, cum narrat Moyſen ſi- lijs Iſrael imperaſſe, vt tantùm manuæ quiſque ſingulis diebus (Sabbato exce pto) colligeret, quantum vnius diei vi- ctus deſideraret? Colligite (inquit) ſex diebus: in die autem ſeptimo Sabbatum eſt Domini; idcirco nõ inuenietur. Quid (inquam) diuina ſcriptura hic nobis ſi- gnificat? niſi verum illud manna, ſanctiſ- ſimum videlicet CHRISTI corpus in Euchariſtia, ſingulis diebus, præter ſab- batum, ſumi poſſe? Hoc eſt quotidie, dum per huius laborioſæ ac luctuoſæ vitæ deſertum peregrinamur à Domino, vſque ad verum illud Sabbatum, cùm i- pſum non jam in ænigmate, nec ſub a- liena figura, ſed facie ad faciem in pro- pria forma, ſicut eſt in gloria Patris, vi- debimus: Si modo Ægypto relicta, per huius mundi deſertum integri & inno centes ad veram promiſſionis terram to- tis viribus contendamus.

Illud etiam maximè, quam nos tuẽ- mur aſſertionem, comprobat, quod quam plurimis locis veteris Teſtamen- ti ſacroſancta Euchariſtia in pane, qui quotidianus eſt cibus, præſignetur: vt ex tribus infra citandis locis colligitur, in quibus manna illud, præcipua huius

ſacramenti figura, panis vocatur. Legi-
Ex. 16. tur enim Exod. 16. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo Et paulò poſt: Dabit vobis Dominus veſperi carnes edere, &
Pſal. 77 manè panes in ſaturitate. Et in Pſalmo 77. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Et
Sap. 16. Sapientiæ 16. Pro quibus Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore. Multis etiam alijs in locis panis figura huius Sacramenti fuiſſe ſignificatur; vt
Eſa. 30. Eſaiæ 30. Panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis. Et
Leu. 23. Leuitici 23. Offeretis ſacrificium nouum ex omnibus habitaculis veſtris, panes primitiarum duos, de duabus decimis ſimilæ. Idem quoque per panem, quem Melchi-
Gen. 14. ſedech Sacerdos Dei altiſſimi, obtulit Domino cùm Abraham reuertenti à cæde Regem benedixit: atque etiam per panem illum ſubcineritium, in cuius for-
3. Re. 16 titudine Elias ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque
Ex. 14. ad montem Dei Oreb: per panes demum propoſitionis ſignabatur. Quorſum igitur tot in locis ſacroſanctam Euchariſtiam Panis præſignat? niſi vt quem-

quemadmodum ſanis & bene valentibus communis hic panis frequenter ſumendus eſt, ſi vitam ſuam tueri velint, ſic Euchariſtiam, illius panis expreſſam veritatem, omnibus bene affectis riteq; paratis, frequenter ſumptam, vtilem ac fructuoſam eſſe intelligamus: ſi figuratum figuræ reſpondere, cùm aptiſſime maximeque propriè poſſit, oportet.

Probationes ex nouo Teſtamento.

Si verò ad nouum Teſtamentum veniamus, & Dominum noſtrum apud Ioannem loquentem attendamus, profectò quàm ſit nobis neceſſarius frequens huius Sacramenti vſus, intelligemus. Cùm enim ſæpè per peccatum moriamur, & indigeamus vita, accedendum ſæpè nobis eſt ad hunc panem, qui eſt vera vita, cùm ipſe Dominus dicat. Ego ſum panis vitæ. Et: Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit nõ moriatur. Et poſtea. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Quis autem erit adeò arrogans, vt ſæpe hoc pane indigere ſe neget? Quis adeo ſtultus ac demens, vt oblata ſibi vita, velit manere in morte?

Ioan. 6.

te? Et vt intelligas eum de huius Sacramenti vſu loqui, ſubjungit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Deinde: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Cùm ergo ſæpiſſimè alimento indigeamus, & opus ſit nobis habere vitam in nobis, & manere in Chriſto, quod fit per huius ſacramenti ſumptionem, quis negabit frequentem illius vſum maximè fructuoſum nobis eſſe?. Qui verò aiunt Chriſtum Dominum in hoc 6 cap (quia cùm multi ex diſcipulis non planè docti de myſterijs diuinis, audientes illa verba ſubmurmuraſſent, atque dixiſſent; Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire? reſpondit, Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quicquam: Verba, quæ ego loquutus ſum vobis, Spiritus & Vita ſunt) non de Sacramentali, ſed de ſpirituali ſumptione loqui ijs non reſpondemus, & contra vnà cum Chryſoſt. & Auguſt. & multis alijs Patribus contendimus Chriſtum hîc loqui de ſumptione Sacramentali; & quod dixit, Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquã:

Et,

Et Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt, dixiſſe, quia diſcipuli nimis carnaliter ipſius verba intelligebant, credentes eius carnem comedi oportere, ſicut edebantur animalium carnes, quæ dentibus conteruntur. Quos CHRISTVS ab errore liberat, docens non carnaliter debere intelligi, quę dicuntur, ſed magis ſpiritualiter: oportere eos videlicet comedere ſub ſpeciebus panis, ſicut ipſe poſtea in vltima Cœna inſtituit. Et hoc modo intellectis Chriſti verbis ſumptio Sacramentalis eſt; non autem carnalis.

Idem quoque ex verbis Chriſti probatur Lucæ 22. Poſtquam enim Dominus Ieſus confecit, & dedit diſcipulis ſuis corpus ſuum, eiſdem dixit: Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis hortatus eſt eos, vt ſicut ipſe confecit, & dedit illis, ita & ipſi facerent, cōficiendo ac dando alijs ſine aliqua tēporis conditione: & quotieſcunque illis videretur expedire, pro populorum vtilitate ac deuotione. Quod ipſi Apoſtoli poſtea ſuis temporibus diligenter fecerunt, vt inferius oſtendemus. Si verò Dominus noſter ad frequentem ſui corporis ſumptionem non eſt adhortatus, *Luc. 22.*

quis erit ita audax, vt damnet frequen-
ter accedentes ad menſam, ad quam Do-
Luc. 11. minus tam liberaliter inuitat.
Auguſt. Ad hoc etiam facit illud orationis
Cyprian Dominicæ: Panem noſtrum quotidia-
Ambroſ. num da nobis hodie, Quod Auguſtinus
Hieron. ad Probam, Cyprianus, Ambroſius, ac
Hieron. multique alij Patres, de ſancto
Euchariſtiæ Sacramento dictum inter-
pretantur. Vocatur autem quotidianus,
quia eo quotidie indigemus, cùm quo-
tidie Deum offendamus: quem panem
docet nos Dominus petere hodie id eſt,
Ambroſ. quotidie. Sic enim intelligit D. Ambroſ.
lib. 5. de quando ait: Quotidie ſi accipis, quotidie
ſacra- tibi hodie eſt. Vnde planum fit, nos vtili-
ment. ter & fructuosè poſſe quotidie ſumere,
cap. 6. quod Dominus nos docet quotidie pe-
tere. Et quod ſatis commodè de hoc Sa-
cramento Euchariſtiæ id dictum intelli-
gi poſſit, argumento eſt, quod quem hic
Lucas vocat quotidianũ, Matthæus ſu-
Matt. 6. perſubſtantialẽ appellat, ſi ad verba La-
tina reſpiciamus: Græcus verò codex a-
pud vtrumque Euangeliſtam habet τὸν
τὸν ἐ- ἐπιούσιν, quod quidem quotidianum,
πιου- & ſuperſubſtantialem ſignificat, Eſt au-
σιν. tem hic maximè animaduertendum a-

pud

pud vtrumque Euangeliſtam præponi articulum T O N , qui juxta phraſin Græcam ſæpiſſimè emphaſin habet, vt hic videtur : atque ideo panem quendam excellentiſſimum ſignificare. Quis autẽ poteſt alius panis ſuperſubſtantialis & excellentiſſimus peti, niſi ipſemet Chriſtus in Sacramento ſumendus qui eſt panis viuus , quem qui comederit, non morietur in æternum, quæ eſt illius vis & natura.

Paulus quoque prioris ad Corinth. 11. ait : Probet autem ſeipſum homo , & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Quo in loco D. Paulus hortatur omnes, vt facta probatione (de qua jam loquuti ſumus) confidenter accedant. Quomodo igitur non fructuoſus erit talis acceſſus quantumuis frequens , dummodo probatus accedas. *Paulus 1. ad Cor. 11.*

Idem etiam Paulus paulò ſuperiùs narrans inſtitutionẽ huius Sacramenti , ait Criſtum cùm confeciſſet hoc Sacramentum, ſuiſq; dediſſet diſcipulis, dixiſſe illis Hoc facite in meã commemorationem. Quę verba D. Thom. illud caput enarãs, pro frequentatione huiꝰ Sacramenti facere docet. Ea vt (inquit) oſtendat rationẽ frequẽtandi hoc myſteriũ, ſubjungit:

Hoc facite in meam commemorationem, &c.

Apoſtolorum conſuetudine frequẽs communio probatur. Actor 2. Ex conſuetudine etiam naſcentis Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis introducta & ſeruata, idem probari poteſt. Fuit enim tunc conſuetudo recepta (quam credimus ex verbis Chriſti manaſſe) frequenter communicandi: vt apertè colligitur ex Actis Apoſtolorum, vbi in concione, quam poſt acceptum Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes Petrus habuit, legitur: Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in illa die animæ circiter tria millia: Et ſequitur: Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione Panis, & orationibus. Vnde jam non poteſt negari tempore Apoſtolorum in ipſis primordijs naſcentis Eccleſiæ, tanquam vtilem & fructiferam, frequentatam fuiſſe ſacram Communionem, cum omnes quotquot conuertebantur ad fidem, in communicatione & fractione Panis perſeuerarent.

1. Cor. 11 Hanc fuiſſe quoque conſuetudinem primitiuæ Eccleſiæ ſatis conſtare videtur ex prioris Pauli ad Corinth. 1. vbi ait: Conuenientibus vobis in vnum, jam non eſt Dominicam cœnã manducare, &c.

care, &c. Vnde apparet conſuetudinem fuiſſe in Corinthia Eccleſia, ſæpe conueniendi ad cõmunionem. Neq; Paulus in illo capite (ne quis fallatur) Corinthios, quòd ad communionem cõueniant, ſed quòd non ritè conueniant, reprehendit. Conueniebant enim veluti ad quotidiana profanaque conuiuia, vbi ſe vino obruebant, & epulis ingurgitabant, & pauperes, qui victui quidem neceſſaria habebant, confundebant. Vnde ipſe ait. Hoc modo conuenire, iam non eſt Dominicam cœnam manducare: ac ſi diceret, Quòd acceditis, ad Dominicam cęnam, digni eſtis laude: ſed quod non eo modo quo debetis, acceditis, iam non laude, ſed vituperatione digni eſtis. Et propterea ſubiungit. Laudo vos, in hoc non laudo, quia quando Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, confecit hoc Sacramentum, tradidit illud diſcipulis, vt probati & digni accedentes recolerent memoriam paſſionis eius, non vt in commeſſationibus & ebrietatibus eos, qui non habent, confunderent.

Hanc etiam laudabilem conſuetudinẽ Eccleſiam deinceps receptam ſeruaſſe declarat ſummus Pontifex Anacletus qui edixit his verbis: Peracta conſecratione, omnes

Anacletus. Vt eſt in c. tra.

dita diſtin. 2. de conſecrat.

omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Ex quibus nemo iam Catholicus inficiari poterit hanc fuiſſe & Apoſtolorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, immò inſtitutũ, atque ſancitum certè iam tum ab Anacleti temporibus vſq; ad eius decreti ac edicti abrogationem. Hoc autem nunquam ſtatuiſſent Apoſtoli, nec ſancta Romana ſeruaſſet Eccleſia, nec tanta ſeueritate beatus Pontifex edixiſſet, vt ſingulis diebus ſumeretur communio, niſi vtilius & fructuoſius eſſet frequenter, quàm rarò communicare. Quòd ſi poſtea refrigeſcente deuotione fidelium, edictum hoc fuit immutatum: non tollitur, ſi ex eadem deuotione Chriſti fideles voluerint ſæpe cõmunicare, quin multò melius faciant, quàm ſi ex timore abſtineant: cùm ſola cauſa mutandæ illius conſuetudinis, Pontificiſque præcepti, diminutio deuotionis, hominum creſcente malitia fuerit.

Hieron. in apol. contra Iouinia.

Beatus etiam Hieronymus hanc conſetudinem Romanæ Eccleſiæ ſuis temporibus fuiſſe teſtatur: Scio (inquit) Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſem-

ſemper Chriſti corpus accipiant, Et in epiſtola ad Lucianum aſſerit conſuetudinem quotidie Euchariſtiam accipiendi in Romanorum Eccleſiis, & Hiſpaniæ obſeruari. Quam conſuetudinem duraſſe etiam per multa tempora credimus Quanta autem cum vtilitate & fructu, oſtendit mater Eccleſia, quæ ſic in quadam oratione de hoc Sacramento teſtatur: Sumptis muneribus ſacris, quęſumus, Domine, vt cum frequentatione myſterij creſcat noſtræ ſalutis effectus. Quod vtiq; Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto regitur, nunquam caneret, niſi verè ex frequentatione ſacræ Euchariſtiæ ingens nobis fructus accreſceret.

Conſuetudo Eccleſiæ Aethiopiæ.

Ab iis Apoſtolorum temporibus manaſſe, & vſque ad hanc noſtram ætatem duraſſe conſuetudinem illam cenſemus, quam receptam ſumma conſenſione, & perpetua religione retinet, ſeruatq; antiquiſſima eccleſia Æthiopiæ, quæ prætioſi Ioannis potẽtiſſimi Regis imperio paret. Eſt enim in ea mos (ſicut & quidam ſcribit, & nos à grauiſſimis viris accepimus) vt quicunque ad ſacrificium Miſſæ audiendum conueniunt, ad vnum omnes ſacram communionem ſemper accipiant, Quæ res maximum nobis ruborem

borem inijcere, ſtudiumque deuotionis erga hoc Sacramentum adferre deberet, cùm nationes ab his locis (vbi ſemper vera & germana ſacroſancti Euangelij integritas viguit) remotiſſimas, hanc ſæpiſſimè communicandi conſuetudinem etiam nunc ſeruare comperiamus. Ac ne quis falsò exiſtimet apud hos populos rarò fieri ſacrum, vnde mirum nõ ſit ſi præſentes ſemper in eo communicent, ille idem author, qui cum multis Occidentalis Eccleſiæ ſociis oculatus teſtis fuit, & hæc memoriæ prodidit, refert apud eos hoc eſſe in more poſitum, vt quotidie in ſingulis Eccleſiis, vel cœnobiis, vna tantum Miſſa celebretur, ad quam quicunque conueniunt, ſacram Synanxim accipiant Vnde hunc frequenter communicandi vſum antiquiſſimum eſſe, & ab ipſo Apoſtolorum tempore vſq; ad noſtram ætatem in æthiopiæ Eccleſiæ ſeruatum fuiſſe intelligimus: In aliis verò Eccleſiis ad multa tempora duraſſe ex Anacleti, & Hieronymi ſupra productis teſtimoniis, ſatis nos probaſſe arbitramur.

His quoq; adde, Eccleſiam nunquam prohibuiſſe frequentem cõmunionem, immò, ne prohiberetur, ſtatuiſſe, cum

dixit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dixit: Non prohibeat diſpenſator man- ducare pingues terræ in menſa Domini: Quod non debet diſpenſator prohibere pingues terræ manducare in menſa Domini; multo minùs illi, ad quos non ſpectat ea diſpenſatio, prohibere Chriſti pauperes debent, qui ex deuotione, ad hanc ſacram menſam accedunt, niſi contra iuſtam & ſanctam Eccleſiæ prohibitionem agere de induſtria velint

Do conſecr. diſtin. 2. c. non prohibeat.

Probationes à ſanctis Patribus, & Doctoribus Græcis accepta.

CAPVT V.

IAM, quoniam de eximia vtilitate vberrimoque fructu qui ex frequentatione Communionis exiſtit, ſatis multa diximus, quamq; laudabile ſit frequenter ad illam accedere, ſanctæ Scripturæ teſtimonio, & Apoſtolorum conſuetudine, & naſcentis Eccleſię inſtituto, multorumq; deinceps populorum conſenſu oſtendimus: Idem confirmabimus authoritate & doctrina ſanctorum Patrũ, primùm Græcorum deinde Latinorum, qui eodem ferè ſtudio & confeſſione comprobant, ac maximè laudant, frequentem huius Synaxis vſum, & ad eum Fideles hortantur.

In

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B. Igna. In primis igitur Beatus Ignatius Epiſtola 10. ad Epheſ. ſcribit: Feſtinate (inquit) ergo frequenter ad Euchariſtiam, & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipſum aſſiduè agitur, expelluntur poteſtates Sathanæ, qui actus ſuos conuertit in ſagittas ignitas ad peccatum.

B Chryſoſto. in Epiſtola Pauli ad Timoth. homi. 5. Neque verò B. Chryſoſtomus, hanc rem prætermittit, reprehendens eos, qui interuallo temporis longiori conſtare meritum putant, ſummamq́ue arbitrantur reuerentiam eſſe, non ſæpiùs cœleſtem illam adire menſam, cùm tempeſtiuum acceſſum ſola conſcientiæ integritas faciat. Non grauabor paulò altius illius verba repetere, cũ vt doctiſſimè, ita ſumma cum pietate de huius Sacramenti frequẽtatione diſputat: ait enim: Hoc nempe eſt, ꝙ vniuerſa perturbat, quia non munditia animi, verùm interuallo temporis longiori meritum putas, ſummamq́ue arbitraris reuerentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cœleſtem illam adeas menſam. Ignoras quoniam indignè accedere, etiamſi ſemel tantùm fiat, te ſupplicio tradet? dignè verò etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquires? Non eſt audaciæ ſæpius acce-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

accedere ad dominicam menſem, ſed indignè accedere, etiam ſi ſemel tantùm quiſnam in toto vitæ tempore accedat. At nos adeò ſtolidi, adeò inſenſati ſumus, vt cũ innumera per totum annum ſcelera perpetremus, nihil ea curemus exuere: cæterùm ſatis arbitramur ſi non aſſiduè præſumamus atq; contumelioſè Chriſti corpus attingere: Neque intelligimus miſeri, quòd hi, qui cruci Chriſtũ affixerunt, ſemel tantũ id fecerunt, nõ igitur, quia ſemel crucifixerunt, minꝰ idcirco delictum eſt: & qui Chriſtum ꝓdidit, ſemel tantum prodidit: nunquid ergo hoc illum ſupplicio eripuit? Quid igitur hãc rem temporis lege metimur? Tempeſtiuum accedendi tempus munditia cõſcientiæ faciat Nihil habet amplius quod in Paſcha conſummatur myſterium, quam ꝙ continuò celebratur: Vnum quippe atq; idem eadem eſt Spiritus ſancti gratia, ſemper paſcha eſt. Noſtis profectò, qui eſtis initiati, id ꝙ dicimus, ſiue ſexta feria, ſiue Sabbato, ſiue dominica die, ſiue in celebritate Martyrum eadem litatur hoſtia, idem ſacrificiũ conſummatur. Quotieſcunq; enim (inquit) maducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuncia-

cia-

ciabitis: Nulla obſeruatione temporis Sacrificium circumſcribere voluit Hæc B Chryſoſtomus, ex quibus ſatis intelligitur, quàm ſalutare, & citra periculum ſit ad communionem ſæpe accedere, dummodo conſcientię munditia probatus accedas

Chryſo. in 1. epi. Paul. ad Corinth. cap. 11. Hom. 28.

Idem Chryſoſtomus reprehẽdens eos, qui ſolennitates obſeruabant ad hoc Sacramentum adeundum, magis, vt aliorum morem ſeruarent, quàm quòd integra conſcientia eſſent, affirmat ſemper eſſe ſolennitatem & tempus accedendi, ſi adſit animæ puritas. Neq; debere compunctum & præparatum à communione impediri, eò quod non ſit ſolennitas, Eius verba hæc ſunt. Probet autem ſeipſum homo. Non quemadmodum nũc facimus, temporis gratia accedẽtes magis quàm animi ſtudio: neq; vt præparati ad vitia noſtra expurgenda compunctionis pleni accedimus, ſed vt in ſolennitatibus ſimus, quando omnes adſunt, conſideramus. Sed non ita Paulus præcepit, ſed vnum tempus nouit & conueniendi, & communionem ſumendi ipſam conſcientiæ puritatem. Et ita purum illud attingere ſacrificium, non pigrè diſponi, & miſerè cogi propter ſolem-

Sic in Græco legitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lemnitatem accedere. Neq; rurſum compunctum & præparatum & impediti, eo quòd non ſit ſolennitas. Solennitas enim bonorum operum eſt demonſtratio, animæ puritas, vitæ certitudo: quæ ſi habueris, ſemper celebrare poteris ſolennitatem, ſemper accedere. Quid clarius ad oſtendendum ſemper nos celebrare, & communicare poſſe, ſi adſit animæ puritas?

Idem Chryſoſtom. in Oratione de B. Philogonio idem aſſerit: Nunc autem, inquit, multi Chriſtianorum in tantam vecordiam, tantumque venêre contemptum, vt cùm innumeris ſcateant malis, nullam tamen vitæ ſuæ curam habeant, ſed in diebus feſtis negligenter ac temerè ad menſam accedant, non intelligentes, quod cõmunionis tempus, non eſt feſtum nec celebritas, ſed conſcientia pura, vitaq; à peccatis repurgata. Quemadmodum enim qui ſibi nullius mali eſt conſcius, hunc oportet ſingulis diebus accedere: ſic qui peccatis occupatus eſt neq; pęnitet, ei nec in feſtis accedere tutũ eſt. Nec enim ſemel in anno accedere liberat nos à peccatis ſi indignè acceſſerimus: quin hoc ipſum auget damnationem, quod cum ſemel tantũ accedamus *Chryſo.*

ne

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne tum quidem purè accedimus. Vides igitur ex ſententia huius doctiſſimi Patris, licere tibi quotidie ad Euchariſtiam accedere, ſi tamen munda conſcientia accedas.

Theophylact. Theophylactus, ſiue magis ſit Athanaſius in illud Pauli prioris ad Corinth. 11. Probet autem ſeipſum homo, ſic ſcribit: Neminem tibi iudicem propoſuerim, præter teipſum. Tu itaque conſcientia exanimata diſcuſſaque, adito ea myſteria, non feſtis, non profeſtisq; diebus, ſed quouis tempore, cùm purum te & dignum compereris Quid clarius pro noſtra ſententia dici poterat?

Probationes à ſanctis Patrib. Latinis, tam veteribus Doctoribus, quàm recentioribus Scholaſticis ſumptæ.

CAPVT VI.

Cypria. in oratio nem Domin. Serm. 6. VT verò ad Latinos iam veniamus, B Cyprianus in primis ait: Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſum⁹, & Euchariſtiam quotidie ad cibũ ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtenti, & non communicantes à cœleſti Pane prohibemur, à Chriſti cor-

ſti corpore ſeparemur, dicente ipſo & monente, Ego ſum panis vitæ, qui de cęlo deſcendi: ſi quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de hoc pane, Vt maniſtum eſt eos viuere, ſi qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communionis accipiunt, ita contrà timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à CHRISTI corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente. Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, & ideo panem noſtrum, id eſt, CHRITVM, dari nobis quotidie petimus, vt qui in CHRISTO manemus & viuimus, à ſanctificatione & corpore eius non recedamus. His verbis, vt vides, Diuus Cyprianus commendat nobis frequentem Euchariſtiæ ſumptionem, oſtenditq; quantũ commodi ex quotidiano eius vſu naſcatur, quantumq; periculi ex abſtinentia timendum ſit. Et in ſermone de cęna Domini, idem Doctor mirificè atq; diuinitus de digna huius Sacramenti ſumptione loquitur: dignus profectò ſermo, qui ab omnibus verè Chriſtiani nominis ſtudioſis ſemper præ manibus habeatur.

Bea-

Hilari⁹ diſtinct. 2. de cō-ſec. c. de ſi non ſunt tanta.

Beatus Hilarius quoque ait: Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debēt à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare: vnde timendum eſt, ne diu abſtractus à corpore Chriſti, alienus remaneat â ſalute: qui peccare quieuerit, communicare non deſinat.

Præterea D. Ambr lib. 5. de ſacra. c. 4. in orationem Dominicam ita ait: Si quotidianus eſt Panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic viue, vt merearis quotidie accipere Qui non meretur quotidie accipere, nō meretur poſt annum accipere. Et paulò poſt: Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus: medicina eſt, cœleſte ac venerabile Sacramentum. Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie: quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt. Quæ verba, imò integer ſermo, eſt apud Auguſtinum de verbis Domini, Serm. 28. vt cuique videre licet.

Ambroſ. habetur.

Iam Ambroſ. lib. 4 de Sacrament. ca. c. ait: Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccato-

rum

rum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.

In cap. Si quotieſcunque de conſec. diſt. 8.

Et alibi idem Ambr. Graue eſt (inquit) quod ad menſem tuam mundo corde, & innocentibus manibus non venimus: ſed grauius eſt, ſi quia peccata metuimus, ſacrificium non reddimus. Et hoc facit maximè contra aduerſarios, qui, ob neſcio quem timorem irreuerentiæ, arcent Chriſti fideles, alioqui probatos & dignos, à frequenti huius ſacri myſterij vſu.

Hier. ad Lucianum.

D. quoque Hieronymus ad Lucianũ ita ſcribit: De Euchariſtia quotidie accipienda, quod Romanorum Eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur, ſcripſit quidem Hippolytus vir diſertiſſimus & carptim diuerſi ſcriptores ex variis authoribus edidêre: ſed ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti. Atque vtinam poſſemus Euchariſtam abſq; condemnatione noſtri, & pungẽte conſcientia ſemper accipere, & Pſalmi-

ſtam audire dicentem: Guſtate, & videte quàm ſuauis eſt Dominus. Ex quibus conſtat, temporibus B. Hieronymi frequentem communionis vſum non ſolũ Romæ, ſed (vt ſuperius diximus) in Hiſpania quoq; inualuiſſe: deq; quotidiana communione non ſolùm Hippolytum, ſed alios quoque ſcriptores, libros, edidiſſe aſſerit. Vbi etiam videre eſt, quã religiosè cupiat, vt omnes ſine condemnatione noſtri poſſimus ſemper Euchariſtiam accipere, quod quidem faciet, qui probata conſcientia dignè ad communionem accedet.

Hieron. Idem quoque Hieronymus Epiſtola ad Galat 4. ait: Itaque ſicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus, non ita eſt fas Iudæis immolare Agnũ: Ex quibus B. Hieronymi verbis conſtat, licere nobis dominicam diem accepta ſacra communione continenter celebrare, quod tamen aduerſarij negãt.

Hieron. Idem Hieron. in regula ad Euſtochiũ c. 9. conſilium dat Monialibus, vt bis vel ſæpius in menſe confiteantur, atque communicent. Confiteantur, inquit, ſingulæ ſingulis menſibus bis, aut plu-

ries crimina occulta, & ſacra communione Dominici corporis munitæ, pugnaturæ viriliter dæmonum caſtra ſubintrent. Ex ſupra poſitis Hieronymi verbis ſatis planum fit, fuiſſe illum in ea ſententia, vt communicare ſingulis Dominicis, vel bis in menſe, ſanctum ac fructuoſum eſſe iudicaret: quandoquidem id & probat, & ſuadet, nec vnquam dixit nefas vel periculoſum eſſe quotidie communicare, etiamſi in Apologia contra Iouinianum dicat, ſe id nec reprehendere, nec probare. Ad quos reſpondimus, vbi de Auguſtini vel Alcuini authoritate agebatur.

Beatus quoque Auguſtinus, alibi ſic ait: Iteratur autē quotidie hæc oblatio, licet CHRISTVS ſemel ſit paſſus, quia quotidie peccamus peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt. *Sup. c. 31. Obiec. 4. Auguſt.*

Et in tractatu Euangelij Ioan. 26. ait: Innocentiam ad altare reportate: peccata & ſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera antequam accedatis ad altare, attendite quid dicatis: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, &c. dimittis? dimittetur tibi: ſecurus accede: panis eſt, non venenum. *Vt eſt in c. virū. ſub figura diſt. 2. de cōſecr. Auguſt.*

Auguſt. Epiſtol. 118 ad Ianuarium.

Idem quoque Auguſtinus, reſpondens ad quorundam contentionem, quum alij negarent quotidie accipiendam eſſe Euchariſtiam, alij verò quotidie accipiendam affirmarent, ſi inquit, Rectius inter eos fortaſſis dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem vnuſquiſq; quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendũ. Quòd Auguſtinus monet, vt in Chriſti pace permaneant, & in frequentatione Euchariſtiæ etiam quotidiana faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciẽdum. Qui ſunt iſti adeo ſeueri, qui eos audent reprehendere, quos vir ſanctus monet, vt ſecundum fidem ſuam faciant? In his locis D. Auguſtinus vel ſuadet, vel permittit quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem, nec vllibi reprehendit: cùm nos nihil aliud in aſſertione noſtra ſtatuamus, niſi hoc, Communicare ſingulis hebdomadibus, laudabilius multo ac fructuoſius eſſe, quàm abſtinere.

Sententia etiam iſtius Auguſtini (vt à multis aſſeritur) de verbis Domini Ser. 28. ſatis aperta eſt pro frequentatione communionis: quam tamen nos hic adducimus, quia totus ille ſermo videtur

tur

tur ipſi Auguſtino attributus, cum tamen totus apud Ambro lib. 5. de Sacramentis cap. 4. vt ſuperius diximus, habeatur.

Quam quoque aſſertionem idem etiam Auguſt. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 53. (ſiue liber ille fuerit Alcuini, vt quidam docti viri affirmant) probat cùm ait: Quotidie communionem percipere Euchariſtiæ, nec laudo nec reprehendo: omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit: Et paulò poſt rurſus hortatur, vt confeſſio religionis ſtudio per vitæ correctionem, & contraria pro his quæ pœnitet, agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex & ſubmiſſus vſque ad mortem percipiat. Vides iam quàm piè ſuadeat hic author, & hortetur omnes, vt ſingulis Dominicis Euchariſtiam accipiant. Quòd ſi de quotidiana ſumptione loqui velimus, certè nimium moroſus es, nec dicam impius, qui reprehendis, quos Auguſtinus non audet.

B. etiam Gregorius idem innuit, dum ait: Prouidens enim Dominus dedit nobis hoc Sacramentum ſalutis, vt quia *Gregor. vt eſt in ca. quid*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit ſanguis diſtinct. 2. de conſecra. nos quotidie peccamus, & ille iam mori non poteſt, per illud Sacramentum peccatorum remiſſionem conſequamur, Quotidie enim ille comeditur & bibitur in veritate, ſed integer, & viuus, atque immaculatus manet.

Gregor. Et Gregorius ſeptimus lib. 1 Regiſtri, Epiſt. 31 ad Matillem ſic ait: Inter cætera quæ contra principem mundi arma Deo fauente contuli, quod potiſſimum eſt, vt corpus Dominicum frequenter acciperes, iudicaui, vt certè fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi. Qui liber quãuis non ſit excuſus, dignus eſt tamen qui legatur, tum propter doctrinæ excellentiam, tum propter viri ſanctitatem.

Bernar. Beatus enim Bernardus ſic ait: Qui vulnus habet, medicinam quęrit: vulnus habemus, dum ſub peccato ſumus: medicina eſt Sacramentum, quotidie accipe, quotidie curaberis. Vides quod conſilium det prudentiſſimus medicus animarum noſtrarum Bernardus?

Et in ſermone de cœna Domini ait: Quid facis, homo ingrate? adora deuotius, & recole frequentiùs in ſacramento altaris ſalutem mundi pro te paſſam,

vitam

vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Et in eodem ſermon. Amici ſponſi, id eſt, boni Epiſcopi, boni Abbates, & cæteri timorati ac religioſi viri, guſtauerunt, & pleniſſimè ſunt experti quod nos diximus, ideoq; ad menſam altaris frequentius accedunt, omni tempore candida facientes veſtimenta ſua, id eſt, corpora, prout poſſunt melius, vtpote Deum ſuum manu & ore contrectaturi, & colloquentem ſibiipſis audituri.

Beat. quoque Innocentius ſummus Pontifex admonet, cauendum eſſe ne ſi nimirum huius Sacramenti ſumptio differatur in mortis periculum incurratur. Aduerte igitur quam periculoſum ſit rarò ad tantum Sacramentum accedere. *Innocē.*

Et B. Apollonius (vt legitur in vitis Patrum, in eius vita) admonebat idem, vt ſi fieri poſſet, Monachi quotidie communicarent, ne ſi quis abhorreret à Sacramento, alienaretur à Deo. Curabat etiam vt fratres, qui cum ipſo erant, non prius cibum ſumerent, quàm communionem dominicam percepiſſent. *Apoll.*

Quibus autem incommodis afficiatur, qui à celebratione huius ſanctiſ-

Incommoda cõmunicā-tium. ſimi Sacramenti abſtinet, cùm laudabiliter, & ſine peccato poſſet accedere, pulcherrimè exprimit doctiſſimus & venerabilis Beda, in quodam tractatu ſic ſcribens: Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, priuat ſanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & remedio. Quorum poſtremis priuantur etiam hi, qui cùm dignè poſſint, nolunt tamen accedere.

Beda.

Scholaſticorũ doctorum teſtimonia. Si vellem ſententias Scholaſticorum & grauiſſimorum Doctorum adducere, oſtenderem neminem eſſe (quòd ego viderim) qui ſimpliciter loquendo, frequentationem ſacræ Euchariſtiæ, non ſolùm per ſingulas hebdomadas, verùm etiam quotidianam, dummodo, quis probatus accedat, non magnopere probet.

Thomas Vt autem breuitati conſulam, paucos ex multis, grauiores tamen, in teſtimonium noſtiæ aſſertionis adducam, & in primis D. Thomam, qui in 3. parte. quæſtion 80. articul. 10 docet, Sacramentum tam ex parte ſua, quàm ex

parte

parte ſumentis conſideratum, laudabile eſſe quotidie ſumere, ſi quis ſe paratum inueniat. Et in 4. diſt. 12. in reſponſione ad tertiam, & vltimam dicit, ſimpliciter loquendo melius eſſe ſumere, quam abſtinere. Et in illud prioris ad Corinth 11. Qui enim manducat, & bibit indignè, &c. poſt longam diſputationem, ſic ait: Quia tamen amor præfertur timori, per ſe loquendo, commodabilius eſſe videtur, quòd aliquis frequentius ſumat, quam quòd tardius.

In eadem ſententia eſt Richardus, eãdem afferens cum D. Thoma reſponſionem.

Bonauentura.

B. Bonauentura in 4. diſtinct. 1. ait: Si quis ſemper eſſet paratus, ſemper vtile eſſet hoc Sacramentum accipere, vt mundum receptaculum habens, comederet cibum hunc cum honore, deuotione, ac fructu multiplici. Hinc fidelibus primitiuæ Eccleſiæ competebat omni die accipere, vtpote Sanctis. Poſtmodum verò charitate refrigeſcente, inſtituta ſunt tempora communicandi diuerſa.

Et in tractatu de profectu Religioſorum libr. 2. capit. penult, ita ſcribit. Salubre eſt tamen & vtile, quod homo

ſæpe ſe ad illius medicamenti ſuſceptionem præparet, & quantò deuotiùs valet, illud percipere ſtudeat, & poſt perceptionem in ſtudio ſe conſeruet. Et paulò poſt: Et licet quandoque trepidè, tamen confidens de miſericordia Dei fiducialiter accedat. Quòd ſi ſe indignum reputat, cogitet quod tanto magis eget, & neceſſe habet requirere medicum, quãtò magis ſenſerit ſe ægrotum. Non enim eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus. Nec ideo quæris te iungere Chriſto, vt tu eum ſanctifices, ſed vt tu ſanctificeris ab illo. Nec propterea prætermittenda eſt ſacra cõmunio, ſi quandoque non ſentit homo ſpecialem deuotionis gratiam, cùm ſe ad illam præparare ſtudet, vel eſt in ipſa perceptione, vel poſt fortè minus deuotum ſe ſentiat, quam vellet. Vides, vt vir religioſiſſimus, & noſtram aſſertionem confimet, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ frequentationem comprobet.

Bonauẽtura. Beatus quoque Dioniſius Carthuſianus in 4. diſtinct. 12. dicit, cæteris paribus multò melius eſſe ex charitate & zelo boni communis accedere, quàm ex humilitate & timore ceſſare, præſertim

cum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

cùm Sacramentum iſtud ſit Sacramentum totius charitatis, liberalitatis & gratiæ, medicinaque animæ: & multa alia huiuſmodi ſubiungit. Et in tractatu, quem de communionis frequentatione compoſuit, multa de aſſiduo illius vſu conſcribit.

Ioan. etiam Gerſon tract. 9. in Magnificat ait: Conſideratis effectibus huius ſanctiſſimi Sacramenti, laudabilius eſſe ex amore eius, & confidentia miſericordiæ Dei ſæpius accedere, quàm ex timore, vel ſcrupulis ſe diu ab eodem Sacramento quodammodo excommunicatum facere: neque ſe exponere periculo, qui non habet certitudinem de legitimo impedimento. Et poſt pauca ſubiungit: Sed ſtultus illius timor eſt & reuerentia minus prudens, qui ad Dominum ſe vocantem & inuitantem non accedit. *Gerſon.*

Adrianus ſummus Pontifex, & vir eruditus, in 4. de Sacramento Euchariſtiæ ſcribit: Adhibita præparatione pro viribus fragilitatis humanæ ſatius eſſe ſumere hoc Sacramentum, quàm abſtinere: idque efficaciter probat. *Adrianus.*

Durandus in 4. diſtinct. 12. idem aſſerit, docens laudabilius eſſe accipere Eu- *Durandus.*

chariſtiam, quàm abſtinere, tam ex genere facti, quàm ex parte effectus: & etiam ex habitibus inclinantibus ad accipiendum & abſtinendum: quod ipſe planè oſtendit. Innumerabiles alios, eosq́; grauiſſimos Doctores idem aſſerentes, breuitatis ſtudio prætereo. In eadem namque, vel ſimili ſententia omnes ferè Summiſtæ, aliique Scholaſtici maxima confeſſione conueniunt.

Rationes tum à cauſa, tum ab effectu, tum etiam ab experientia ductæ.

CAPVT VII.

Et ſi ſatis eſſe deberent teſtimonia ſuperiùs adducta ad intuendam veritatem, ſatis alioqui per ſe perſpicuam: nihilominus eandem ſententiam firmiſſimis rationibus probare nitemur, vt nullus aduerſariis tergiuerſandi locus relinquatur: niſi malint opinionem ſemel cõceptam pertinacius tenere, quàm cognitæ perſpectæque iam veritati cedere.

Ratio prima. Sit igitur hæc prima ratio: Hoc Sacramentum eſt ſpiritualis cibus animæ: vt eſt apud Ioa. 16. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Et poſtea: Caro mea verè eſt

eſt cibus : Sicut igitur corpus noſtrum indiget frequenti cibo , vt inſtauretur humidum radicale; alioquin ſequeretur interitus:ita etiam ad conſeruationem vitæ ſpiritualis indigemus frequenti huius Sacramenti ſumptione. Cùm enim ex concupiſcentia nobis innata , & occupatione in exterioribus fieret jactura deuotionis , per quam homo rediret ad Deum: profectò, niſi per hoc Sacramentum frequenter ſumptum inſtauratio fieret, timendum eſſet, ne anima prorſus alienaretur à Deo , & ſpiritualiter moreretur. Vnde monet Innocentius cauendum eſſe, ne, ſi nimis huius Sacramẽti ſumptio differatur, in mortis periculum incurratur. Ex quibus ſatis apparet, frequentem Euchariſtiæ ſumptionem vtiliorem , & magis fructuoſam , quàm abſtinentiam ab ea eſſe.

Secunda ratio.

Secunda. Hoc Sacramentum eſt Sacramentum vnitatis, vt inquit D. Thomas in Ioan. quia videlicet per iſtud homo maximè vnitur Deo per amorem & deuotionem : Et in 4. dicit. Virtute huius Sacramenti quandam transformationem hominis ad Chriſtum per amoris vnionem fieri. Quantò igitur frequentiùs ſumitur, tanto magis homo

Deo

Deo vnitur.

Tertia ratio. Tertia. Ille actus eſt perfectior & laudabilior, qui à perfectiori & nobiliori virtute manat. Charitas autem multò eſt perfectior & nobilior, qàm timor; Cùm ergo frequens ad Euchariſtiam acceſſus ex charitate & amore Chriſti, abſtinentia verò ex timore proficiſcatur; ſequitur, laudabilius & perfectius eſſe accedere, quàm abſtinere.

Quarta ratio. Quarta. Huius Sacramenti vſus ex pluribus & nobilioribus virtutibus naſcitur, ex religone, & Chriſti amore; ex gratitudine, qua ei obnoxij ob immenſa beneficia per ipſius paſſionem nobis collata reddimur; ex confidentia bonitatis eius, & deuotione. Nec humilitas, & reuerentia in tanti Sacramenti ſumptione deſiderantur, dum Chriſti excellentiam & ſummam bonitatem in eo intuemur atque perſpicimus, noſtramque dignitatem & indigentiam conſideramus atque cognoſcimus. Qui verò abſtinet, etiam ſi ex humilitate & reuerentia Sacramenti abſtineat, non tamen amore, quæ nobiliſſima virtus eſt, nec ſuauiſſima confidentia in Chriſto mouetur; quam ipſe Dominus tanto ſtudio nobis ſæpiſſimè commendauit, cùm para-

paralytico diceret; Confide, fili, remit- *Matt. 9.*
tuntur tibi peccata tua. Et diſcipulis; *Marc. 6.*
Confidite, quia ego ſum. Et Confidite, *Ioan. 16*
ego vici mundum. Quibus planum fit,
verum id eſſe, quod nos affirmamus.

Quinta. Hoc Sacramentum à Chri- *Quinta*
ſto nobis in memoriam eius paſſionis *ratio.*
ſumendum proponitur ijs verbis:
Hoc facite in meam commemorationem: Ergo qui accedere, quum laudebiliter poſſit, recuſat, negligens ſic ad memoriam reducere beneficium Paſſionis Chriſti, quæ in vſu huius Sacramenti præcipuè celebratur, certè ingratus videri poteſt.

Sicut enim de Doctorum ſententia in nulla re magis, quã in celebratione Dominicæ Paſſionis DEVS honoratur: ita nulla nos ratione maiorẽ poſſumus Deo honorẽ habere, quàm per dignam huius Sacramenti ſumptionẽ, in qua eius Paſſionis memoria celebratur; neq; in alia re magis Dei beneficia recognoſcere & gratos nos ipſi pręſtare poſſumus, quàm in vſu illi⁹. Vnde in Pſalmis dicitur: Quid
retribuã Domino pro omnibus quæ re- *Pſal. 11.*
tribuit mihi? Calicẽ ſalutaris accipiam.

Sexta. Bonum ex ſe, excellentius eſt *Sexta*
bono per accidens; Sed ſumptio huius *ratio.*

Sacra-

Sacramenti eſt bona ex ſe: abſtinentia autem non eſt bona, niſi per accidens: quia ſolùm ex communicatione abſtinentis, quatenus metus eſt, ne minus ritè ſumatur. igitur excellentius eſt, &c.

Septima ratio. Septima. Laus etiam frequentationis Euchariſtiæ optimè ſumitur ex multiplici effectu, quem mirabiliter eius ſumptio agit: Tollit enim peccatum mortale præteritum, exiſtens & futurum. Non quòd exiſtens in peccato mortali, cuius ſibi eſt conſcius, illius remiſſionem conſequatur; Sed eò dicitur tollere peccatũ præteritum, quod reliquias culpæ, & diſpoſitiones ad peccata tollit, vt pronitatem ad recidendum, & habitus vitioſos ex peccatis relictos. Tollit etiam peccatum exiſtens, illud ſcilicet, cuius obliti ſumus, vel non habemus conſcientiam & affectum: & peccatũ quoq; diſplicens per attritionem. Cùm enim paruus dolor, qui à Scholaſticis attritio dicitur, ſatis non ſit ad remiſſionem mortalis, hoc Sacramentum cum attritione cauſa potens efficitur, vt ſentit D. Thomas, alijq; Doctores, *Thomas* Tollit quoq; mortale futurũ, quatenus robur ad declinanda deinceps mortalis tribuit. Et quòd hos effect⁹ producat, præter conſenſum Doctorum, qui

hoc

hoc aſſerunt; videtur etiam ex oratione Dominica colligi, vbi poſtquam petiuimus Panem illum ſuper ſubſtantialem, petimus dimitti nobis debita noſtra, & ne inducamur in tentationem, ſed liberemur à malo: tanquam effectus dignæ ſumptionis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quorum nullum ipſius abſtinentia parit.

Octaua ratio.

Octaua. Valet etiam Euchariſtia ad delenda venialia, vt inquit Magiſter ſententiarum, Ambroſium adducens dicentem: Si quoties effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere: qui ſemper pecco debeo ſemper habere medicinam. Et in lib. de Sacramentis, affirmantem, hunc cibum quotidianum contra quotidianam infirmitatem ſumit quotidianæ autem infirmitates peccata ſunt venialia. B. quoque Auguſt. ait: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſit ſemel paſſus, quia quotidie peccamꝰ peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt: hæc autem ſunt venialia. Innoc. etiam de hoc ſacramento loquens ait: Venialia delet, & cauet mortalia. Abſtinentia autem nihil horum agit.

Magiſter ſent. in 4. diſt. 12. Ambroſ.

Auguſt.

Innoc.

Nona ratio.

Nona. In ſumptione huius Sacramẽti pœna peccatis debita remittitur, vel

tota

tota, vel pars, ex diſpoſitione ſaltem ſuſcipientis propter deuotionem & charitatis feruorem, qui valet non ſolùm ad remiſſionem culpæ, ſed etiam pœnæ, vt inquit Alexander.

Alex. parte 4. quæſtio. 41.

Decima ratio.

Decima. Qamuis accipienti hoc Sacramentum, & abſtinenti, bonum ex bono ipſorum motu æquale contingeret; tamen qui accipit, eximium quoddam bonum conſequitur, quo defraudatur qui abſtinet: ampliſſimam videlicet gratiam, quæ cuilibet bene parato per ipſius Sacramenti vſum confertur. Sacramenta enim nouæ legis præter gratiam, quæ ex opere operantis à Deo tribui ſolet, gratiā quoq; ex opere operato (vt Scholaſticorum more loquamur) conferunt. Quo vocabulo doctores Deum peculiari quodam fauore proſequi eos, qui ad Sacramenta ritè accedunt, & ſingulari priuilegio ipſum Sacramentorum vſum ornare, ſignificant. Cùm em̄ Deus pro ſuauiſſimo ſuæ ſapientiæ ordine ijs, qui ſacramentis non vtuntur, gratiam juxta diſpoſitionem motumque liberi arbitrij auxilio gratię, quo præuenitur obſequētis, ſeque ad Deum conuertentis, ſoleat impartiri: illos, qui hæc Sacramenta bene riteq; accipiunt, gratia maiore proſe-

quitur,

quitur, quàm ipſa earum diſpoſitio, & ad Deũ conuerſio, deuotioq; promereatur: Quod ſanè ipſe in gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti pro eius præclariſſimis ſingularibuſq; promeritis ſimul & pro pacto cum hæc Sacramenta accipientibus inito & confirmato, benigniſſimè & liberaliſſimè facit Quapropter q ope diuinæ gratiæ pręuenientis ita paratus eſt, vt ſua ad Deũ conuerſione aliquam gratiam, etiam ſine ſacramentis eſſet conſecuturus, accedente recto ipſorum Sacramentorũ vſu, non eam ſolum, ſed vberiorem & cumulatiorem aſſequitur. Id autẽ ſi in omnibꝰ nouæ legis Sacramentis verum eſt, profectò in Euchariſtia, quæ digniſſimũ eſt Sacramentum, longè verius eſſe comperietur Quod & ipſum nomen oſtendit, cùm Euchariſtia, Græca vox, bonam gratiam apud Latinos ſignificet. Quare qui etiã dignè ſumit, ſemper gratiam, vel gratiæ incrementum, propter ipſam Sacramenti ſumptionẽ, conſequitur, quàm neutiquam conſequitur abſtinens Itaq;, vel hoc vnum conuincit verũ id eſſe quod dicimus, multò melius & fructuoſius eſſe frequenter Euchariſtiam accipere, quàm abſtinere ab ea.

Vndecima. Si conſideremus quoque hoc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vndecima ratio. Effectus Sacramenti Eucharistiæ.

hoc Sanctiſſimum Sacramentum, vt ſacrificium eſt, quoſdam mirabiles effectus non ſolùm recipientibus, ſed etiam in his, pro quibus offertur, producit. Nam viuis impetrat diſpoſitiuè gratiã, & remiſſionem peccatorum, non tanquam cauſa proxima, ſed quatenus impetrat gratiam contritionis, per quam peccata remittuntur, & gratia gratum faciens confertur Impetrat etiam vel omnino vel ſaltem ex parte remiſſionem pœnæ. Quatenus enim Sacrificium eſt, rationẽ accipit ſatisfactionis. Impetrat etiam pacem, & ſanitatem, & multa alia bona: vt conſtat ex ſacris ab Eccleſia ad hunc finem inſtitutis Mortuis autem eatenus prodeſt, quaten⁹ eos à pœnis purgatorij per modum ſuffragij liberat; vt Eccleſia Catholica credit, tuetur ac docet. Beatos quoq; lætificat: Gaudent enim accidentali lætitia de honore, qui in celebratione huius Sacramenti Deo exhibetur. Gaudent etiam de honore, qui eis propter Deum in hoc Sacramento tribuitur, quando in honorem illorũ Deo offertur. Gaudent præterea de beneficijs, quæ mater Eccleſia in filijs, tam viuis, quã mortuis ex celebratione huius ſacrificij accipit. Vnde venerabilis

Beda

Beda.

Beda (vt ſuperiùs adduximus) ſcribit: Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantũ in eo eſt, priuat ſanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidió & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipsũ medicina & remedio.

Duodecima ratio

Fructus duodecim manantes ex ſacram. Euchariſtiæ.

Duodecima. Si reſpiciamus etiam ad ſuauiſſimos fructus, qui ex digna huius Sacramenti ſumptione naſcuntur, quis erit in quo ſit vel tenuis ſcintilla ſpiritus Ieſu Chriſti, qui non cupiat, non ſolùm frequenter, ſed etiam frequentiſſimè illo refici? Narrãt enim ſacri Doctores, ex digna illius ſumptione prouenire in animam fidelem duodecim fructus ſimiles duodecim fructibus ligni vitę, de quibus ſcriptum eſt Apocal. vltimo, vbi legitur: Et oſtendit mihi fluuiũ aquę viuę, ſplendidum tanquam chryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni in medio plateę eius: & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per ſingulos menſes reddens fructum ſuum, & folia ligni, ad ſanitatem gentiũ. De quibus fructibus ſcribit Rich. in 4. diſtinct. vnde, ſi vis, eos colligere poteris. Alij verò Doctores illos duodecim fructus ex

Richar.

hoc

hoc Sacramento manantes ſic enumerans: Viuificare, Inflammare, Patientiam dare, Nutrire, Reſtaurare, Vnire, Communicare, Sanare, Conſeruare, Roborare, Perducere: quos fructus explicando religioſi ac docti viri copioſiſſimè perſequuntur B. quoque Bernardus breuius Euchariſtiæ fructus percenſet: dum ait: Euchariſtia medicina eſt ægrotis, peregrinantibus diæta, debiles confortat, valentes delectat, languorem ſanat, ſanitatem ſeruat: fit homo manſuetior ad correptionem, patientior ad laborẽ, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarũ actiones deuotior. His omnibus fructibus ſeipſum defraudat, qui abſtinet à communione.

Bernar.

Decima tertia ratio.

Decimatertia. Qui frequenter accedit ad Euchariſtiam, frequenter conſcientiam ſuam examinat: qua examinata, ſua peccata deplorat ac deteſtatur, ſibiq; in poſterum innocentiæ legem indicit. Ex quibus actibus magnum meritũ accreſcit: quo priuatur abſtinens, quamuis ſit in gratia. Quis igitur dicere audebit, vtilius eſſe abſtinere à communione, quã frequenter accedere, niſi quis voluerit contendere, melius eſſe in via Domini ſedere, quàm progredi.

Decima quarta. Qui frequenter ad communionem accedit, frequenter accedit ad confeſſionem. Qui verò frequẽter confitetur, melius ac faciliùs animam ſuam cuſtodit, & cor ſuum ab omni labe peccati vacuum integrumque conſeruat: tum propter ſacram verecundiam, ne ſcilicet ſæpiùs eadem peccata confiteri neceſſe ſit: tum propter robur & vires, quæ ex frequenti confeſſione & communione percipiuntur, atque ideo propter ſedulam operam curamque, quam adhibent, qui frequenter confitentur, vt in ſtatu gratiæ continenter permaneant. Nihil verò horum propter abſtinentiam à communione contingit. *Decima quarta ratio.*

Decimaquinta, Si expertes in arte mechanica credendum eſſe teſtantur Sapientes, quantò in ſtudio ſpirituali exercitatis peritiſq; fides maior eſt adhibenda? Quòd ſi roges frequenter communicantes, reſpondebunt ſe ex frequenti huius Sacramenti ſumptione effectus ſentire mirabiles: ardentiorem in Deũ & proximum charitatem, vehementius ad diuinorum mandatorum obſeruationẽ ſtudium, maiorem rerum terrenarum cõtemptũ, firmiores vires contra dęmonis, mundi, & carnis impet⁹, Confitebuntur *Decima quinta ratio.*

præ-

præterea ſe à multis vitijs & defectibus expeditos, quibus irretiti & implicati ante frequentationem huius myſterij tenebantur. Neq; (vt arbitror) abſtinentes dicent, experiri ſe ex ſua abſtinentia tales effectus.

Decima ſexta ratio. Decima ſexta. Qui abſtinent à communione, ideo abſtinent (vt ipſi aiunt) vt poſtea deuotius ac reuerentiùs accedant. Sed tu quomodo ſcis te per abſtinentiam eam deuotionem & reuerentiam adepturum, quam in frequentatione inuenire non poſſis? Cum talis deuotio & reuerentia ex ipſa, vel in ipſa ſumptione à Deo ſæpiſſimè conferatur: ſæpiſſimeq; contingat, vt quanto quis magis abſtinet à communione: tanto frigidior & magis indeuotus reddatur? Nimius autem irreuerentiæ timor, ſtultus eſt, qui Domino ſe inuitanti non credit. Vnde Ioannes Gerſon in Magnificat: Stultus, inquit, eſt timor, & reuerentia minùs prudens illius, qui ad Dominum ſe vocantem & inuitantem non accedit, ſed procraſtinat. Vnde ſæpe euenit illud. Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit. Ait præterea illos, qui nolunt ad Euchariſtiam accedere, niſi ſint actu deuoti ac feruidi, ſimiles eſſe frigidis, qui no-

lunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lunt accedere ad ignem, niſi priùs ſint calidi: & infirmis, qui nolunt adire medicos, niſi priùs ſint ſani; quibus ex juſtitia diuina ſæpenumero contingit, quod accidit Adæ, qui cùm erat in Paradiſo, noluit de ligno vitæ comedere, cùm verò voluit, non potuit.

Decima ſeptima ratio.

Decimaſeptima, Excellens bonum quod frequentius certiuſque contingit, non eſt relinquendum pro incerto & rarò contingenti. Quare etſi aliquando accidit, vt qui rariùs accedit ad communionem, deuotiùs & reuerentius accedat: tamen (vt inquit idem Gerſon) contrarium ſæpe contingit, vt ſcilicet multò indeuotiùs frigidiuſq; accedat. Quia habitus (vt ait Philoſoph. 2. Et hic.) facit delectabiliter operari: quo caret, qui rarò accedit. Vnde ſubdit idem: Diſtraheris hodie? parum deuotus es? parum recollectus? plurimum tentatus à carne, mundo, & demone? credo equidem; ſed agnoueris quod non dormiunt qui te perſequuntur: cras ijdem erunt aduerſantes tibi hoſtes, tuæque deuotioni inſidiantes, quales ſunt hodie: Subjungit: Dices, frigidus ſum, aut tepidus. Reſpondet, Sæpe ſuſtinuit initium celebrationis hominem parum deuotum, & frigidum,

quem in ſine dimittit calidum & feruidum : corpus Chriſti ignis ſpiritualis, accede ad hunc ignem, & faciliùs caleſces. Ex quibus apparet, quã ſtultè faciant, q diu abſtinẽt, vt deuotius accedant.

Decima octaua oratio.

Decimaoctaua. Qui ad Euchariſtiam veretur accedere, is aut abſtinet, quia confiſus de induſtria ſperat ſe alio tempore aptiorem futurum : aut abſtinet, quia maiorem Dei gratiam ſe præparantem expectat. Si priùs; ſtulta eſt perſuaſio & opinio, neque enim toto vitæ tempore quis ſua induſtria dignum ſe reddere poteſt tanto myſterio, cùm id diuino munere, & non induſtria noſtra nobis donetur. Quòd ſi hæc cogitatio in mente noſtra altiùs inſidebit, intelligemus profectò indigentiam noſtram, & ſic humiliabimur coram Deo. Humilitas autem vel maxima eſt quæ nos ad dignam tanti Sacramenti ſumptionem diſponit. Si poſterius, fatua eſt expectatio: cùm Dominus ſemper nobis præſto ſit, conferens gratiam ſuam impedimento ſublato. Prope eſt enim Dominus *Pſ.144.* inuocantibus ſe. Neque nouit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, vt inquit *Ambroſ.* Ambroſius. Vides igitur quàm inutilis, & quàm ſtulta ſit hæc tua à tam ſalutifero

fero

ſero Pane abſtinentia.

Decimanona Euchariſtiæ Sacramentum, quamuis innumerabilibus figuris in veteri lege fuerit deſignatum, præcipuè tamen expreſſum fuit in Manna patribus in ſolitudine dato, quòd ſingulis diebus, præter Sabbatum, in quotidianum cibum colligebatur. Vt ergo figuratum figuræ reſpondeat, licet ac decet ſanctiſſimum Chriſti corpus quotide ſumere vſque ad verum Sabbatum, id eſt, vſque ad diem glorioſæ quietis, in quo ipſum facie ad faciem, ſicuti eſt in gloria ſua, videbimus. *Decima nona ratio.* *Ex. 16.*

Vigeſima. Qui à communione ob inanem timorem irreuerentiæ abſtinent, à libertate Chriſtiana longiſſimè abſunt, quæ tota plena eſt fiduciæ in Chriſto, eiuſq; promiſſionibus: fiuntq; huiuſmodi homines nimis ſcrupuloſi ac dejecti ad ſtudioſas actiones, frigidi in charitate, tepidi in oratione. Contra verò, qui frequẽter communicant, ſunt Euangelicæ fiduciæ pleni, libertate Chriſtiana gaudentes, ad agendum fortes & acres, atque in oratione ardentes, ac feruidi. Vix enim reperies in toto Chriſtianæ vitæ ſtudio, quòd magis mentem ad omnipotentiæ, cæterarumque quæ in *Vigeſima ratio.*

Deo ſunt, virtutum cognitionem, quam huius Sacramenti conſideratio & contemplatio attollat. Nihilque inuenies, quod vberiorem gratiam, ad benè ſtudioſeq; viuendum, atque in via Domini progrediendum, quàm frequens ſanctæ Euchariſtiæ ſumptio conferat.

Vigeſimaſeptima ratio.

Mat. 26

Vigeſimaſeptima. Cùm poſtremò vnigenitus Dei filius pro ſumma ſua liberalitate humanam naturam in vnitate diuini ſuppoſiti ſumere, & ſeipſum Deum & hominem in ſacramento donare voluerit. Accipite (inquiens) & comedite, Hoc eſt corpus meum. Equidem excogitare nequeo, qua ratione vel ingratitudinis, vel inhumanitatis effugere crimẽ poſſimus, ſi vel ſpreta tanta Redemptoris munificentia, tam præclarum ac ſingulare munus, tam liberaliter nobis oblatum, ob inanem, quendam timorem reſpuamus, vel tantum principem, ac dominum ad nos vltro venientem, domiq; noſtræ diuerſari cupientẽ excludamus, ſed ad alios eum diuertere patiamur, neſcio quam excuſatiõem irreuerentiæ nacti, cùm ipſe nihil æquè in nobis ac cor contritum & humiliatum, ſimplicemq́; ac ſinceram paupertatem deſideraret.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ADHORTATIO AD SACRAM COMMVNIONEM

SATIS jam te intelligere arbitror piè Lector quanto præclarius, quantoque vtilius, ac fructuoſius ſit ſacratiſſimũ Chriſti corpus in Euchariſtia frequẽter ſumere, quam cibo tam ſalutifero vitaliq; abſtinere. Vnum illud modo tibi ſupereſt, vt perſpecta videlicet tanti Regis humanitate, liberaliſſimè ad ſuas nuptias te vocantis & ſic inuitantis. Accipite & comedite. Hoc eſt corpus meũ. *Mat.26*
Et, Hoc facite in meam commemorationem. Properè ac frequenter accedas, *Luc.32.*
ne in vitium ingratitudinis incidas, atq; *Luc.14.*
è regno cœlorum cum Euangelicis illis inuitatis (ſi te excuſaueris) excludaris. Hæ nuptiæ cœlorum Regis ſunt, conuiuium eſt ſpirituale, cuius panis cor hominis confirmat, *Pſal.103* & vinum ſpirituali lætitia hominis mentem inebriat. *Ioan,10* Cibuſq; illius caro Chriſti eſt, dicentis: Caro mea verè eſt cibus. Hæc enim eſt illa ſalutaris Angelorum eſca de cœlo tradita, omne

lectamentum in ſe habens, & omnis ſaporis ſuauitatem. Hic eſt panis pinguis, qui præbebit delitias Regibus. Hic eſt panis frugum terræ vberrimus, & pinguis. Hic etiam eſt panis ille primitiarũ. Hic eſt panis, tum in ſubcinericijs panibus Angelis ab Abraham oblatus, tum
Gen.4. in panibus propoſitionis ſignificatus. Deſignabitur etiam hic ſaluberrim⁹ panis in pane & vino à Melchiſedech obla-
3.Reg.1. tis. Hic denique eſt panis ille ſubcinericius, in cuius fortitudine ambulauit Elias quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Oreb.
Geneſ.2 Hoc eſt lignum vitæ à Deo optimo maximo in medio paradiſo terreſtri inſitũ, cuius eſus vitam corpoream conſerua-
Exod.12 bat: Hic eſt Agnus Paſchalis ſine macula, per cuius ſanguinem poſitum ſuper vtrumq; poſtem & in liminibus domorum olim fuit populus Iſraeliticus ab
Iud.13. Angelo percuſſore ſeruatus. Hic eſt hœ-
1.Re.14 dus, quem obtulit Manue Domino ſuper petram. Eſt quoq; fauus mellis, quẽ Ionathas intincta ſummitate virgæ conuertit ad os, & illuminati ſunt oculi eius.
Num.20 Eſt etiam largiſſima illa aqua, quæ ex petra à Moſe percuſſa repente ſcaturijt. Accede igitur liberè ad hoc ſuauiſſimũ

Chriſti conuiuium, in quo certiſſima tibi ſalus & vita promittitur Si enim veſtimenta Chriſti, & ſudaria ac ſemicinctia Pauli vel leui contactu ſalutem præſtabant, quantò magis ipſum Chriſti corpus dignè ſumptum ab omnibus te infirmatibus tuis prauiſque affectibus liberabit? Si ſolo Chriſti verbo quatriduanus Lazarus excitatus ab inferis extitit, quantò magis ipſum Chriſti corpus, tuum pectus ingreſſum te viuificabit, tuamque conſcientiam à peccatis te vindicans morte, purgabit? Eia igitur fidelis anima, ſi immunda es, accede ad fontem puritatis. Eſuris? accede paſcenda ad panem viuificum & indefectibilem, eſurientem implentem bonis. Ægrotas? erit hoc efficaciſſimum tuæ infirmitatis medicamentum. Fluxum pateris, nec ſanari poteſt à medicis? tange plena fide cum Hæmorrhoiſſa fimbriam veſtimenti Ieſu, ſacroſanctam hoſtiam, & reſtringeris. Si percuſſam te ſentis à ſerpentibus peruerſarum tentationum, quid reſtat niſi vt ſerpentem æneum ſine veneno Chriſtum in cruce eleuatum aſpicias? Cæcam te fortaſſis, debilem & claudam conquereris? memineris oportet, quòd tales ad cœnam magni Regis

Mat. 14
Act. 19.
Ioan. 11.
Gerſon.
Marc. 5.
Num. 21
Luc. 14.

inuitantur, & intrare compelluntur Lu-
brica ſum (inquis) & inſtabilis: ſed hic,
Pſ. 103. panis cor hominis confirmat. Triſtis es
3.Re.14 & anxia? ſed hoc vinum hominem inte-
riorem lætificat. Inquietante, plurima?
Adhære ei qui turbatos fluctus ſedat. Pe-
regrinatis à Domino? ſed in fortitudine
cibi iſtius ambulabis vſque ad montem
Dei. Hœc mira Spiritus ſanctus per ſcri-
pturas, ſpirituq; Dei inſpirati ſancti Dei
homines de hoc admirabili Sacramento
Cypria. loquuntur. B. Cyprianus in ſermone de
cæna Domini, doctiſſimè ſimul ac reli-
gioſiſſimè ſcribēs: Panis hic (inquit:) azy-
mus, cibus verus & ſyncerus per ſpeciem
& ſacramentum nos tactu ſanctificat, fi-
de illuminat, & veritate Chriſto confir-
mat. Accedant igitur omnes Dominicæ
paſſionis ſtudioſi ad hunc ſaluberrimum
panem; neq; ſumere quàm frequentiſſi-
poterunt, hoc ſuauiſſimum manna ve-
reantur, in quo laborioſi huius mundi
deſertum ſine vitæ periculo tranſire poſ-
ſint. Ne timeat ad hunc ſalutiferum pa-
nem accedere, qui velit cor in Domino
habere confirmatum ad vincendos ini-
quiſſimos Dæmones, qui noſtræ ſaluti
continenter inſidiantur. Nemo hunc
panem vberrimum & pinguiſſimum, qui
delitias

delitias præbet æternas, accipere dubitet. Nemo deniq; ſit, qui timeat frequenter, atque adeo frequentiſſimè panem hunc ſubcinericium & azymum ſumere, compoſitum in vtero virginis, coctum in ara crucis, in cuius fortitudine quadraginta diebus & quadraginta noctibus, hoc eſt, breuiſſimo huius vitæ ſpatio, non jam vſq; ad montem Dei Oreb, id eſt, deſertum, ſed vſque ad montem Thabor, hoc eſt puritatem, & gloriam DEI peruenire poſſimus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE ADMIRABILI EV-CHARISTIÆ SACRA-mento carmen.

NVminis æterni cū dextera cōderet orbem,
Fundente omnigenas vi bonitatis opes.
Vita quibus fuerat naſcentibus inſita rebus,
Addita contiguis ſunt alimenta locis.
Herba, frutex, arbor ſuccum radicibus actis,
De pingui eliciunt, vt vegetentur, humo.
Omnia de paſtis viuunt animalia plantis,
Aut alijs, propria conditione, cibis.
Præcipuæ Rex orbis homo cui præbet alendo,
Tum varias tellus, fluctus, & aura dapes.
At geminam debebat homo, ſi viuere vitam,
(Mens quia ſe bruto viuere more negat)
Corporeæ ſua quando data eſt alimonia vitæ
Nullane tunc animis eſca parata fuit?
Primigenis nec enim felix mortalibus ortus
Gignebat, viuax ſpiritus vnde foret.
Spirituique nihil vitalis proderat arbor,
Solùm anima tutrix hæc vegetantis erat.
Diuinis puriſque animis diuina dabantur,
Qualis & Angelicis mentibus eſca datur.
Sed ſimilis poſtquam iumentis reddidit illos,
Culpa nocens, victu mens ſpoliata ſuo eſt.
Mortua & eſſet adhuc, miſerans niſi Chriſtus amatum.

Denuo

Denuo, morte ſua, reſtituiſſet opus.
Perdita quæ fuerat, diuina reuixit imago,
Interiorque noua luce renatus homo eſt.
Vtque hic cœleſtem cœleſti fomite vitam
Nutriat, ætatem proficiatque ſuam:
Ille ſuum nobis ſacro cum ſanguine corpus
(O nimio exundans munus amore) dedit.
Angelus Ambroſiæ ſe paſtu, & nectaris hauſtu
Repleat, oblectet, lætificetque, licet.
Inuidiſſe poteſt nobis hæc fercula, Si quid
Inuidiæ Angelicis mentibus eſſe poteſt.
Sit tamen (vt par eſt) Superorum lautior eſus,
Mortale at certè congruit iſte magis.
Dum fidei ſpeculo æternarum ænigmata rerum
Cernimus atq; animum fictile corpus habet.
Senſilibus ſubſtant diuina Chariſmata formis,
Et ſpecies ſenſu, res homo mente capit.
Ardua præſertim myſteria ſacra Synaxis
Prodit, vbi Chriſtum ſigna aliena tenent.
Diuinis credunt humana problemata verbis,
Nulla Deo poterat gratior eſſe fides. (tur.
Magna profectò fides, & præmia magna mere-
Quæ modo tecta latēt, deinde retecta patent.
Nam cibus eſt idem, quo veſcitur Angelus, &
quo Chriſtigena, hic cibus eſt Chriſtus
homo atque Deus.
O miſerum, qui delitias non guſtat opimas,
Quàm ſapit ille, caro cur tua, Chriſte, ſapit.

Se Chriſto eſuriens ſaturat, ſatur eſurit vſque,
Iam ſuperis ſimilis finitimusque choris.
Accipere quisquis Chriſtum non curat opertum;
Accipiet nunquam Chriſtus apertus eum.
Mortales igitur vitam cognoſcite veſtram,
Et meritum capiat grande chariſma decus.
Namque in deſerto aeriæ faſtidia mannæ,
Terribilem Hebræis ſi peperere necem;
Cœleſtis, ſeu diuini contemptio panis,
Quid niſi Tartareum ſit paritura rogum?
Ah quid opum ſpinas, quid honorum mandere glandes,
Quid de voluptatum ſtercora, quæſo, juuat?
Nil caro mortalis, niſi mortem gignit amanti,
Ac vitam Chriſti viua datura caro eſt.
Non opus eſt pretio, proſtant conuiuia gratis:
Sordidus hæc temerè dummodo nemo petat.
Credat, ſperet, amet, ſeq; his virtutibus ornet,
Sicque ad regales audeat ire dapes,
Hic quoq; quo poteris conuiua frequentior eſſe.
Regali à menſa commoda plura feres.
Atque frequens vt ſis, ſuadent ratioq;, fidesq;,
Et pietas, & ſpes, conditioquo cibi.
Si quoties rigido languent tua corpora morbo,
Accerſis medica qui leues arte malum.
Cur quoties aliquo fœdaſti crimine mentem?
Non ſumis pura pharmaca ſacra manu?
Accede ergo frequens, tantam neque deſpice menſam,

Vnde

Vnde tibi tantum commoditatis erit.
Dumque ſacram propius fas eſt attingere menſam,
Percita corda trahant hinc amor, inde timor:
Nam timor, indignum quod homo ſe nouerit, arcet,
Se dare dignantem ſumere ſuadet amor.
Sic bene ſuſceptus, bene ſi tractabitur, hoſpes,
Hoſpitium felix, atque perenne dabit.

LAVS DEO.

Auctor pio Lectori.

CVM ſuperioribus menſibus, amice Lector, quædam de frequenti ſanctiſſimæ communionis vſu tumultuariè collegiſſem, non eo animo, vt in lucem ederentur, ſed vt quorundam amicorum ac piorum hominum votis & deuotioni ſatisfacerem, qui cùm crebriùs cœleſtis vitæ panem, & quidem magno cum fructu manducarent, habere aliquid cupiebant, quo aliis etiam obſtrepentibus & improbantibus facti ſui rationem probare poſſent. Accidit, vt hæc ipſa Neapoli poſtea excuderentur, & quæ obiter ego in amicorum gratiam notaueram, in omnium manus peruenirent. Quocirca pluribus ami-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cis viſum eſt (ductis fortaſſe domeſtici preli commoditate) vt illa qualia eſſent, ſub incudem reuocarem, ac denuò emitterem. Ego verò qui probè ſcirem alios permultos in ſocietate noſtra eſſe, & ingenio, & doctrina & eloquentia longè præſtantiores, qui hoc ipſum argumentum (vt omnia) copioſiùs atque ornatius explicare poſſent, meo me pede metiri cupiens, diu ſum huiuſmodi amicorum monitis & conſiliis reluctatus. Sed vicit tandem eorum ſtudium repugnantem animum, cùm præſertim accederet eorum calculus, qui excudendorum librorum cenſores in vrbem ſunt conſtituti. Itaque calamum in manum ſumpſi, & pro mearum virium tenuitate, illa quæ parum digeſta priùs videbantur, in paulò meliorem ordinem diſtribui, meũque nomen in libelli titulo adſcribi paſſus ſum: tum quia in orbe ſuſpectum eſſet & planè prohibitum ſine nomine librum vllum in lucem edere, tum vt ſi quid alicubi erratum à me eſſet (quod fieri facilè more hominum potuit) id authori ſuo tribueretur. De inſtituti mei ratione, hoc te pie lector, monitum volo, nihil me contra viros pios vel ſentire vel agere, qui bona & pia ratione ad-

ducti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducti, freno potius, quàm calcaribus vtendum cenſent quibuſdam, qui ex conſuetudine potius, quàm ex deuotione ſæpius communicant: quos videlicet non arcent, ſed monent, ne illotis (quod aiunt) manibus, & minus probata conſcientia, adhæc Sacroſancta myſteria irrumpant: ſed reuerſus eius diſputationē nos hanc ſuſcepiſſe, qui neſcio quibus rationibus decepti, vel affectibus parum piis commoti, deuotionem & profectū ſpiritualem piorum hominum impedire, & ſimplices & Chriſti charitate accēſas animas, à Chriſto quibuſcunq; modis poſſunt, conantur auertere. In quos ſi fortaſſe alicui videbimur aliquando excanduiſſe, & acriores fuiſſe (Dei enim zelus vrſit nos, vt rei indignitas poſtulabat) minus erit quòd miretur. Hos ergo quoniam comprimere tantùm volebamus, & eorum inanes, ſed in ſpeciem probabiles rationes refutare, nihil hic nos de exacta atque exquiſitiſſima ſeipſum probandi & parandi ad cōmunionem ratione (de qua aliàs fortaſſe) diximus, ſed de ea ſolum locuti ſumus, quæ & neceſſaria omnino eſt, vt cibus vitæ ſit ſumentibus in vitam, & quæ propoſitæ quæſtionis declarationi conuenire vide-

videbatur. Alioquin facilè eſt hinc deducere plus eum fructus ſpiritualis, ex huius diuini atque inenarrabilis Sacramenti perceptione relaturum, qui ſeſe magis orationibus, meditationibus, piiſque omnibus operibus parauerit, & palatum mentis purgauerit, vt guſtare poſſit & videre, quàm ſuauis ſit Dominus. Vale, pie Lector, & conatus noſtros, tuis votis & precibus iuua.

FINIS.

AD
VA
EX C
CTOR
ptis
Reueren
IN C
sur

eſt hinc de-
ritualis, ex
bilis Sacra-
m, qui ſeſe
onibus, pi-
uerit, &pa-
guſtare poſ-
t Dominus.
oſtros, tuis

s.

METHODVS AD EOS ADIV-VANDOS, QVI MO-RIVNTVR.

EX COMPLVRIVM DO-CTORVM AC PIORVM SCRI-ptis, diuturnoque vſu & ob-ſeruatione collecta.

AVCTORE

Reuerendo Patre Ioanne Polanco, Theo-logo Societatis IESV.

Paderbornæ,

IN OFFICINA MATTHÆI PONTANI,

ſumptibus Petri Henningij.

ANNO M. DC. XVII.

PIO

cationem p
momēti ce
vita migr
eſt profect
præ cæteri
cerdotum
& vt ſerp
manæ hoſ
ſi calcane
cuire, & i
tentando
uoret, ſu
gnare cr
lectionem
Chriſti
re potiſsi
ſuam op
tur, ſtu

PIO LECTORI SALVTEM.

CVM inter omnia, quæ nostra Societas ſecundum inſtitui ſui rationem ad Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem præſtare ſolet, ea opera maximi momēti cenſeatur, quæ hominibus ab hac vita migrantibus impenditur, optandum eſt profectò magnopere, vt in hoc munere præ cæteris rectè obeundo, noſtrorum Sacerdotum diligētia, & charitas eluceſcat: & vt ſerpens ille, ac antiquus naturæ humanæ hoſtis, huic extremæ vitæ parti, quaſi calcaneo inſidiari, & vt leo rugiens circuire, & in vltimo eo tempore, quod ei ad tentandos fideles permittitur, quem deuoret, ſummo ſtudio quærere & oppugnare creditur: ita qui propter Dei dilectionem, homines, vt eius imaginem, & Chriſti membra diligunt, in eo tempore potiſsimum, quod ad æternam ſalutem ſuam operandam vltimum ipſis relinquitur, ſtudioſiſsime cum Dei auxilio elaborare

Ratio iuuandi morientes diligenter exercenda.

borare debent, vt ad finem ad quem creati & redempti ſunt, illi perueniant. Quãuis autem gratia Dei, & ſpiritus eius, magis quàm vlla ab hominibus tradita documenta fidelem, & prudentem Chriſti operarium, ad ſanctum hoc officium rectè obeundum, inſtruant: quia tamen vt in alijs quæ ad animas iuuandas comparantur functionibus, ita & in hac placet omnipotenti Deo, vt humana induſtria, diuinæ ipſius prouidentiæ cooperetur, multa vtiliter iis ſuggeri poſſe videntur, qui ad morituros iuuandos accedunt. Et vt diſtinctè, ac dilucidè digeſta, faciliùs retineri, & in opus deduci poßint, ea quæ nobis in hoc argumento occurrerunt, in viginti capita quæ inferiùs annotantur, diſtinximus, conſideratis totius negotij circumſtantijs, ac partibus, quia enim ex iis aliqua ad ipſummet, qui iuuat, aliqua ad morientem, aliqua ad eos, qui morientibus aßiſtunt, referuntur: prima in capite primo ſequentis inſtructionis vel directorij, tertia in vltimo, ſe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cunda intermediis attinguntur. Et inter hæc, quia quædam cum ipſomet moriente ſunt tractanda, quædam ſine illo peragi poſſunt: poſteriora, capite penultimo: priora reliquis continentur. Cùm etiam inter illa quædam omnibus vel neceſſaria ſint vel ad conſolationem & meritum vtilia, quædam etiam quibuſdam morientium diſpoſitionibus magis ſeruiant, neque omnia omnibus conueniant, de prioribus agitur à ſecundo capite vſque ad octauum, de poſterioribus in reliquis. Et quamuis omnia perſpecta eſſe expediret ei, qui iuuat moriturum, vt officio ſuo pleniùs fungeretur, prima tamen octo capita & penultimum quod eſt 19 vt quæ ferè in quotidiano vſu verſentur, memoria recentiori expedit retineri: in reliquis cùm diſpoſitio patientis id exiget, capita eis accommodata relegendo, memoriam reuocare ſatis erit. Intellige interim pie Lector, in hunc librum & illa, quæ complures longa experientia docti obſeruarunt, & quæ etiam auctores ſcri-

Diuiſio huius tractatus.

ptis

ptis ſuis tradiderunt, quàm fieri potuit, breuiſſimè eſſe congeſta. Etenim id nobis curæ fuit, ne præter quàm opus erat, longi eſſemus: ob quam etiam cauſam nonnulla interdum in poſterioribus partibus libri breuiter replicauimus, quæ ſuperioribus capitibus copioſè dicta erant, ne ſcilicet Lector ad illa prolixiora, cùm hæc ſatis pro tempore & loco eſſe poſſent, ſe referre cogeretur. Vale, & boni conſulens quæ ad tuum laborem ſubleuandum ſunt conſcripta, Dominum Ieſum pro nobis ora.

BRE-

BRE
DVS
VA
De iis q
tali ſtatu
agitur, ſu
erratur,
cidat, ſi q
ingenio
accidit,
prouiden
adducat,
rituri, ve
ac diutur
trum hor
functio,

fieri potuit,
mm id n. bis
s erat, lon-
auſam noni
bus partibus
quæ ſuperio-
rant, ne ſci-
a. cùm hæc
oſſent, ſe re-
ns conſulens
euandum
inum

BRE-

BREVIS METHODVS AD EOS ADIVVANDOS QVI MORIUNTUR.

De iis qui pertinent ad eum qui adiuuat morientem.

CAPVT I.

INTELLIGAT in primis, qui dat operam eis iuuandis, qui ex hac vita decedunt, quanti ſit momenti, & quàm veræ charitatis opus, proximis in tali ſtatu conſtitutis, vbi de ſumma rerũ agitur, ſubuenire. Nullibi enim grauius erratur, & cùm mors ſemel tantùm accidat, ſi quis error hic admittitur, nullo ingenio corrigi poteſt. Adde quòd ſæpè accidit, vt huiuſmodi miniſterio diuina prouidentia ad portũ æternæ ſalutis eos adducat, qui ſine ipſo in æternũ erãt perituri, vel certè in purgatorio grauiores ac diuturniores pœnas paſſuri, aut ſi neutrum horũ euenit, illud quidẽ certe hæc functio, quòd ad alia ſpectat, boni adfert

fert, vt morientes in maiore decedant charitate, & contra; ac proinde etiam maiore poſt hanc vitam beatitudine apud Deum, & gloria perfruantur. Quod ſi eos, qui ſani ſunt, magnum eſt opus pietatis, ad hæc ipſa, per prædicationem & ſacramentorum miniſterium, vel quauis ratione adiuuare, cùm & alio tempore & aliis mediis id fieri, & poſtquam adiuti erūt ab accepta gratia excidere poſſint, quantò maius eſt iamiam ex hac vita in aliam migraturis ſuccurrere? cùm illud ſit certiſſimum, quòd vbi ceciderit lignum, ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit; ſi bene vitam finierit, in Auſtro erit æternæ ſalutis: ſi malè, in Aquilone æternæ miſeriæ.

Eccleſ. I.

Deinde aduertat, quòd ipſe impares admodum vires ex ſe habeat ad tantum opus, ſcilicet cooperandi Deo ad ſaluté animarum, morte præſertim imminente, cùm propter vim morbi ratio à conſideratione rerum ſalubrium diſtrahi ſolet, & propter timoris aliorumq; affectuum vehementiam, minùs apti ferè ſunt homines, vt negotium ſuæ ſalutis, prout oportet, tranſigant: cùm tamen Dæmon ſciens, quod modicum tempus ha-

Sibi diſfiders, in Deo collocet ſpem bene ſe gerendi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

habet omnes vires ſuas exerat, vt morientem, ſi qua ratione poſſit, perdat, & vt malignus eſt & ſagax, id multis modis (quantum à Deo permittitur) curet. Vnde qui hoc officio fungitur, humiliter coram Deo ſuam imbecillitatem agnoſcat, & ſibi diffidens, totam ſpem bene gerendi & quod intendit conſequendi, in diuino auxilio conſtituat.

Apoc. 12.

Intentio pura ac deſiderium iuuandi ſit vehemens.

Puriſſimam habeat intentionem iuuandi morientes in tanta neceſſitate ad vltimum finem ſuum aſſequendum, cõſiderando, quod imago Dei, quod Chriſti membra, quod ipſius ſanguine & vita redempti ſunt, & quaſi ſubſtituatur à Chriſto ad illos adiuuandos, quos ipſe tantoperè diligit, & quorum ſalus, in ipſius magnum honorem & gloriam cedit, excitet in ſe vehemens ſalutis eorum deſiderium, & omni ſtudio cooperari Dei prouidentiæ conetur, ne fructus mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti in eis pereat.

Orandũ pro morientib. in vniuerſum, & in particulari.

Qui ergo hoc officium ex obedientia, vel charitate exercet, pro gratia adiuuandi morientes quotidie in vniuerſum oret, & cum peculiari affectu pro ſingulis eorum, ad quos iuuandos vocatur, tam dum ad eorum domos ſe confert,

quàm dum in eiſdem manet: ac perbreues elationes cordis, deſiderium ſalutis morientium in ſe renouet, & ad eos applicet: ſacrificiis etiam Miſſarum hoc ipſum in genere, & in particulari faciat.

Præmeditetur res dicẽdas, & ordinẽ ac modum pro varietate perſonarũ.

Res ipſas, quæ dicendæ ſunt vel agendæ, ac modum & ordinem earum, benè intelligat, & in memoria habeat, ne accidat, vt cum exiguá morientis vtilitate & aſtantium minore ædificatione ſuum faciat officium: & ſi ad vnam concionem habendam, ſtudium, ad res opportunas, & ordine congruo dicendas adhibetur, quantò magis ad negotium hoc tam arduum, præmeditatio, & rerum, & ordinis erit neceſſaria? eſt tamen aduertendum, quod nec res eædem, ſemper, nec eodem modo erunt dicendæ, ſed pro diſpoſitione varia morientium, & loci ac temporis, maiori, vel minori commoditate (de quibus infra) variari oportebit, aliter enim cum magnis, quã cum plebeis hominibus: aliter cum doctis & ingenioſis, quàm cum indoctis ac rudibus: aliter cum exercitatis in rebus ſpiritualibus, quàm inexercitatis: aliter cum cholericis & impatientibus: aliter cum iis, qui ſedato & patienti animo ſunt, agendum eſt. Prioribus enim

pauca

pauca, ſelecta, erudita, & opportunè dicta; poſterioribus: plura, magis explicata, & ipſorum captui accommodata quadrare ſolent. Cum eiuſdem etiam naturæ & qualitatis hominibus aliter, ſi ſenſibus valent: aliter ſi iam ſunt hebetiores: aliter ſi morbus non affligit doloribus: aliter ſi affligat: aliter ſi tempus ſuppetit: aliter ſi breue eſt, procedendum erit. Vnde præter illa documenta, quæ in genere præſcribi poſſunt, diſcretione ſemper opus habebit, qui iuuat morientem, vt ſcilicet vtatur iis omnibus, quæ præmeditatus eſt, vel tantum quibuſdam eorum, pro re nata, & prout expedire ad præſens iudicauerit, non vno contextu omnia dicendo, nec properanter, nec vno tono, ſed paulatim dicet, quæ opportunè dici, & audiri ab ægroto poterunt, interrumpendo filum dicēdorum, partim ſilētio, vt melius ille digerat, quę audiuit: vel ſponte ſua vtiliter cogitet: vel vt quieſcat: partim interrogando de aliis rebus communibus, & partim orando pro eo, & alios ad hoc ipſum hortando, & poſteà proſequatur, quæ cœpit. Clauſulæ loquentis ſint breues & ſermo ſimplex, & pium affectum oſtendens: & cum prudentibus & graui-

bus, nō tam inſtruentis phraſi, quàm in memoriam redigentis, vel, quòd ab eis fieri creditur, referentis, vbi expedit.

Si non eſt perſpecta ægrotantis, ad quem accedit, perſona, & habitudo: & occaſio detur, in ipſo itinere curet, qualis ille ſit, & quomodo ſe habeat, cognoſcere, id eſt, an ſit vir eruditus, an prudens, an patiens, an vtatur integris ſenſibus & iudicio, an credatur vicinus morti, an teſtamentum fecerit, an confeſſus fuerit, an communicauerit, & extremam vnctionem ſumpſerit: quod vitæ genus tenuerit, an aliquid in eo ſit magni momenti, de quo admoneri debeat, an ſe afflictum in ſpiritu oſtendat, an integro ſit auditu, vt bene audiat, ſi quid loquatur ſubmiſſe &c. Ipſe etiam obſeruet mores hominis, & non ex abrupto incipiat, ſed iam ingreſſus ad infirmum, ipſum & aſſiſtentes ſalutet, prout decet, & quomodo ſe habeat, interroget, & compaſſionem habeat, & præ ſe ferat, & ſi ægrotus ipſe quid dicere velit, audiat eum, & valde caueat, ne tædio ipſum afficiat, vel rebus ipſis, vel tono altiori, quàm ſit opus, vel repetitionibus rerum earundem, quin potius animaduertens paulatim hominis ingenium, conſolari eum

Quomodo in ingreſſu ſe habeat cũ ægrotante.

eum ſtudeat & amanter & prudenter cũ eo agendo, eius beneuolentiã ſibi cõciliet, vt quæ ad ſuam ſalutem pertinent, audiat libentius, admittat facilius, & ita magis proficiat, & ipſo reuertente, ſi redire oporteat, potius recreetur in Domino, quàm moleſtia afficiatur.

Libertate modeſta vtatur.

Demùm poſtquam explorata fuerint ei, quæ oportet intelligi, vtatur religioſa, & modeſta libertate, in omnibus, quæ ad officij ſui functionem pertinent, tam erga ægrotum, quam circumſtantes.

De his, qui eum moriente ad animam ipſius iuuandam, tractantur.

CAPVT II.

Diuiſio eorum, quæ dicenda ſunt.

QVÆ in auxilium morientis fieri vtiliter poſſunt, & cum ipſo, aut per ipſum tranſiguntur, in duplici genere ſunt, aliqua enim vt neceſſaria cenſentur, quæ ad faciendum quod debet, hominem diſponunt: aliqua vt conuenientia & vtilia, quæ ad conſolationẽ ſcilicet & maius meritum morientis pertinent: & quidem neceſſaria vel adiuuant morientem in iis, quæ ad animæ ſtatum, vel in ijs, quæ ad prouidentiam er-

ga ſibi coniunctos, & corporis ad rerum externarum diſpoſitionem faciunt, & quamuis hæc aliter curari debent, cùm & ipſius intellectus, & voluntas, & temporis commoditas, omnia exactè fieri permittit: aliter cùm aliquid horum deeſt: prius omnia tractabimus, perinde ac ſi ægrotantis ac temporis diſpoſitio integrum ipſi auxilium exhiberi permitteret; deinde de iis caſibus ſeorſum agetur, in quibus, quòd deſit aliquid horum, perſonæ habitudini, ac tempori ſe accommodare oportebit.

Quæ cura ſit, vt moriens in gratia Dei & charitate decedat.

PRIMA ergo, & præcipua cura iuuantis eos fideles, quibus mors iuxta peritorum ſentẽtiam, creditur imminere, ſit circa animæ ſtatum, vt ſcilicet in gratia Dei, & charitate ex hac vita decedant. Et quia per Sacramenta, ea in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum diffunditur, vt eis muniatur infirmus, primo quoque tempore curandum eſt. Poſtquam ergo ſalutauerit ægrotantem, & (ſi expedite iudicabit) Euangelium, vel Orationem ſuper ægrotos dici ſolitam, vel vtrumque recitauerit, vel aliquid mente in Deum eleuata, & ſuper eum manibus impoſitis orauerit, ſedenſque aliqua vel audiuerit, vel interrogauerit,

ſumpta occaſione ex his, quæ ægrotans reſpõderit, vel aliunde, ſignificet blandè & amanter (niſi in aliquo caſu videretur ad ſacramenta prius adducendus vel huiuſmodi nuncium differendum eſſe, cùm periculum non eſſet in mora) quòd medici ſecundum artis ſuæ experiẽtiam, de ipſius vita dubitant: adiungens, nunc tempus eſſe, cùm humana auxilia parentum, & amicorum, & medicorum parum ipſum ſubleuare poſſint, vt toto ſe corde ad Patrem cœleſtem conuertat, qui vt amantiſſimus, vult, & vt omnipotẽs poteſt ipſum iuuare, vel ſanitatem (ſi expedit) reſtituendo, vel, in omnem euentũ, ſanitatem & vitam perpetuam ei tribuendo.

Conuertat etiam ſe, & ſpem ſuam erigat in verum amicum IESVM CHRISTVM, qui tantoperè ipſum dilexerit, & pro eo ſanguinem ſuum totũ effuderit; quæ probatio amicitiæ perfecta fuit, nã (vt ipſe teſtatur) maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. CHRISTVS eſt amicus verè fidelis, qui, cùm alij deſerunt, ſcilicet in morte, quòd nolint vel non poſſint prodeſſe, tunc ipſe maximè *Ioan. 15.*

& vult, & poteſt amicos iuuare. Idem etiam eſt ſapientiſſimus medicus, qui non ſolum corpus (cum id conuenit) ad breuem huius vitæ periodum, ſed animam etiam, per gratiam ſuam ſanat, & poſt reſurrectionem perfecta, & perpetua ſanitate corpora ſanabit. Vt autem gratia ipſius ſanet animæ vulnera, & morbos, medicina ſacramentalis eſt neceſſa-

Quomodo ad cõfeſſionẽ adducendus etiam qui differre vellet.

ria, ideo confeſſionem debet integram facere, & per ipſam æterno Patri reconciliari: ſi differret ad aliquam horam, vt ſibi commodiorem, vel vt peccata meliꝰ poſſet recordari, & temporis anguſtiæ non vrgerent, admittendum id eſſet, & ſuo tempore redeundum ad confeſſionem audiendam, niſi ægrotus alij confiteri deberet: imò ſi morbi ratio id ferret, & generali confeſſione opus habere infirmus videretur, ei ſuggeri poſſet, vt non ſolum ab vltima confeſſione cogitet, quæ conſcientiam premunt, ſed & alia anteactę vitę peccata, pręcipuè ſi circa ea pacatam conſcientiam non habet,

Eſai. 33.

recogitet, iuxta illud Ezechię Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ: ſi dilatio non petitur ad hos fines, ſed quia detractat laborem ingrediendi ad ſeipſum infirmus, vel obtem-

tentationem aliquam, &non videtur ꝓ-
babile, quòd poſtea magis paratus erit,
dicat illi, quòd, vt pater æternus & Do-
minus noſter IESVS CHRISTVS in
ſuam gratiam & amicitiam ipſum ad-
mittat, oportet vt peccata, quæ diui- *Eſa. 59.*
dunt inter Deum & ipſum, tollantur,
& hoc fieri per Sacramentum pœnitentiæ:
proinde ne differat hoc impedimen-
tum remouere, etiam contra ſapientis
in Eccleſiaſtico conſilium, qui dicit: Ne *Eccle. 5.*
tardes conuerti ad Dominum, & ne dif-
feras de die in diem, non poſſumus no-
bis vnam horam vitæ polliceri, & tamen
pœnitentia in illa hora acta, vel nō acta
poteſt vel ad regnum Dei aliquem per-
ducere; vel ab ipſo excluſum, & dam-
nationis æternæ reum relinquere: ideò
idem Sapiens ait: Repromiſſio nequiſ- *Eccleſ.*
ſima multos perdidit, quia ſi peccatis *77.*
obnoxij promittunt ſibi vitam longio-
rem, & retardant conuerſionem, &
mors, vel delirium eis ſuperuenit, cùm
non amplius pœnitendi tempus habe-
ant, actum eſt de ipſorum ſalute, & in
æternum peribunt. Adde quoque vt au- *Martia-*
ctor quidam benè ait: Qui non eſt ho- *lis.*
die, cras minùs aptus erit. Demùm
cùm primum fieri poterit, ad confeſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſionem adducat, & ſuam operam in redigendis ad memoriam peccatis promittendo, eam faciliorem ęgrotanti reddere conetur, & cùm aſſenſum eius habuerit, ſemotis arbitris, audiat quæ ipſe ſciet & volet dicere: deinde ipſe iuuet de iis, quæ ſunt probabiliter omiſſa, percunctando & numerum & circumſtantias neceſſarias: quæ poſtquam habuerit, quantum ſatis eſt, tunc ad contritionem (ſi eam imperfectam animaduerterit) hominem iuuet, id tamen cum ea moderatione faciat, ne in diffidentiam ægrotus, & nimiam animi deiectionem incidat, moneat ergo, vt conſideret magnitudinem Dei, cuius præcepta tranſgreſſus eſt, ſub quo præ humilitate profunda, incuruantur, qui portant orbem, Angeli, præ reuerentia, contremiſcunt: & vt nihilum eſt omnis magnitudo creata. Conſideret etiam in Deo iuſtitiæ zelum, quo Angelos & homines peccantes tam acerbè puniuit; & ſanctitatem, qua ſic odit peccatum, vt ſi quis in illo moriatur ſine pœnitentia, licet ſit alioqui filius dilectiſſimus, in æternum eum priuet hæreditate cœleſti, & ad inferni tormenta nunquam finienda releget.

Ad contritionē quomodo iuuādus, qui confitetur.

Iob. 9.

2. Pet. 2

Ad-

Aduertat autem Sacerdos, vt diximus, ne nimis terreat ægrotantes, præſertim ſi ſubtimidi viderentur, & magis contritionem excitet, (quocunque illi ſint ingenio) in memoriam redigendo, quàm multis beneficiis naturæ & gratiæ ipſum Deus ſit proſecutus: quanta ipſum præuenerit dilectione, qui proprio Flio nō pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, & vtique pro ſingulis: quanta nobis bona in regno cęleſti poſt hanc vitam pręparauerit: quàm ſit in ſe bonus & in infinitum amabilis, & dignus omni honore, obedientia, & obſequio, & tunc dicet, hunc ergo DEVM, tantæ Maieſtatis, tantæ ſanctitatis, tantæ bonitatis, qui te de nihilo creauit, & in filium adoptauit, & tanta dilectione & beneficiis te proſecutus eſt: contempſiſti, & iniuria affeciſti, & quod in te fuit, ſanguinem IESV CHRITI filij *Heb. 6.* eius pro te effuſum conculcaſti & in his & illis peccatis (quædam grauiora repetendo breuiter) animam tuam commaculaſti, quantum ergo dolere debes, quòd tam ingratè te geſſeris erga talem, & tantum Patrem & benefactorem? deinde animet eum, & erigat, dicendo:

perpende, quid ſic offenſus Pater cœle-
ſtis, pro ſua tamen miſericordia infinita,
ad pœnitentiam te expectauit, quodq́ue
per Prophetam promiſit, in quacunque
Ezech. hora ingemuerit peccator, omnium ini-
33. quitatum eius non recordabor: quod
IESVS CHRISTVS, qui pro peccatis
tuis mortuus eſt, apertis brachiis in cru-
ce (vt vides) te inuitat, vt ad ipſum cum
dolore vitæ pręteritę refugias, vt ample-
ctatur te, & ſanet animam tuam, & ſi cō-
ueniet tibi, etiam corpus tuum, & ad ti-
bi comparatam ſuis doloribus beatitu-
dinem adducat, dic ergo corde & voce,
ſi potes, cum publicano: Deus propitius
eſto mihi peccatori. Dic cum Dauide,
Luc. 18. Domine propitiare peccato meo, mul-
Pſal. 14. tum eſt enim, dic cum eodem pœnitēte:
Miſerere mei Deus meus, ô qui te nun-
Pſal. 50. quam offendiſſet, ô Pater amantiſſime,
diſplicet mihi valdè, quòd tam ingratè
tuam bonitatem offenderim, ô Domine
IESV CHRITE, qui me tanta charita-
te peccatorum viliſſimum redemiſti,
ſanguinem & vitam tuam mihi impen-
dendo, pęnitet me plurimum, quod tam
ſæpe, & tam grauiter tua mandata præ-
uaricatus ſum, quis mihi det fontem la-
chrymarum, vt defleam ingratitudinem

&

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& malitiam meam, qua te, qui tantope re me amaſti, & honoraſti, contempſi, & creaturas viliſſimas tibi in affectu amoris mei propoſui firmiter propono, cum tua gratia velle me potius in poſterum millies mori, quàm te offendere, etiam ſi diu mihi viuendum eſſet in terra, hæc ergo, & ſimilia, vel partem eorum, vel ſi quæ magis accomodata perſonæ pœnitentis occurrent, dicat, vt ad contritionem de peccatis præteritis, etiam oblitis, & affectum eorum relinquendum, & emendationem, ſi viueret, firmiter proponendam, adiuuet, & quo ad eius fieri poſſit, curet, vt contritio ſit charitatē informata, & non ex timore tantum: & vt firmum vitæ ſeriò emendandæ propoſitum, ſi ſuperuixerit, in eo ſit, & tunc conſolando eum ſpe veniæ, & reconciliationis cum Deo, abſolutionis beneficium impendat & ſi aliquas indulgentias ei poterit impertiri, quam largè licebit, impertiatur, & vt patienter morbum, & eius moleſtias, & mortem ipſam, ſi Deo placuerit, de manu eius ſuſcipiat, pro ſatisfactione ſuorum peccatorum, & ob Dei amorem admoneat, & pœnitentia alia vel non injungatur (niſi breuiſſima, & quàm poſſit facilè peragere) vel

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel ſi iniungitur alia maior, non niſi recuperata valetudine ad eam ſe teneri ægrotans intelligat.

De ijs qui ad aliquam reſtitutionem tenentur.

Si tamen habet aliquid alieni, quod reſtituere debeat, & ſtatim poſſit, videat Sacerdos, an expediat differre abſolutionem, donec id opere compleat. Vel ſi non differt, quia promittenti ſe ſtatim id facturum, credit, vrgeat, vt viuens id fieri curet, ne hæredum arbitrio id relinquat, quod tãtopere ad ſuæ ſalutem animæ pertinet, hoc de rebus clarè debitis intellige, ſi res eſſet dubia, & ipſo viuente declarari poſſet, an ad reſtitutiões teneatur (vt in habentibus negotia vel adminiſtrationem bonorũ alienorum accidere facilè poſſet) primo quoque tempore id fiat, ſi non eiuſmodi res eſt, vt ſtatim poſſit veritas eluceſcere, in teſtamẽto, vel codicillo decernat, vt re declarata, cuiq; quod ſuum eſt reddatur, & tantundem fiat, ſi clarum quidem eſt debitum, & tamen non poteſt ſtatim reſtitui, & ſolet bonum eſſe conſilium, vt hæredes aliqua pœna, ad reſtitutionem tempeſtiuè faciendam, ſi ſtatim non poteſt fieri, obligentur. ſed valde optandum, & curandum eſt, vt ſtatim fieri poſſit.

Pax cū offenſis, vel offenſoribus curanda.

Si cum aliquo intercedit inimicitia publica, non ſolum vt ignoſcat, ſed ſi fieri poterit, vt coram notario, & teſtibus id conſtet, curandum eſt, & ſi ipſe alium offendit, mittat ad veniam petendam, & ſatisfaciat offenſo, vt oportet, & pax (ſi res id feret) dum ægrotus viuit, conficiatur ſecretè ſi quæ fuerint huiuſmodi, tranſigantur.

Famæ reſtitutio curanda.

Si ad famæ reſtitutionem fuerit obligatus, eo modo quo poterit, per ſe, vel per alium eam reſtituere curet, verbo, vel ſcripto. ſi excommunicatus eſſet aliquis ex ijs, quibus mors imminet curetur, vt ſe ſubmittat totis viribus Eccleſiæ ordinationi, vt beneficium abſolutionis conſequatur.

De Sacramento Euchariſtiæ ſumendæ.

His, quæ ad confeſſionem pertinent tranſactis, viaticum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ dum ſenſus vigent, à parocho, vel de eius aut ſuperioris facultate, ab ipſo, qui juuat morientem, vel alio ſumat ægrotus ac prius inſtruatur, vt ſe præparet ad illud dignè ſumendum, præcedente reconciliatione, ſi ea opus erit, & cùm quanta humilitate, fide, ſpe & dilectione fieri poterit, communicet. Admoneatur etiam, vt ſacramentum extremæ vnctionis ſumat, vel ſaltē petat, vt ſuo tem-

pore

De Sacramento extremæ vnctionis. *Iacob. 5*

pore adferatur, & eius vis ægrotanti declaretur, quæ duplex eſt (pręter effectum communem conferendi gratiam, quam habent omnia ſacramenta:) altera ſcilicet, vt præparetur ad profectionem in cœleſte regnum, a peccatis & eorum reliquijs per eam expeditus, altera, vt ſanitas corporis eius vtilis eſt futura, etiam illam promoueat juxta illud Iacobi; Infirmatur quis, &c. & oratio fidei ſaluabit infirmum, ideo non eſt expectandum, vt jam naturæ vires penitus ſint proſtratæ, & ſit ſenſuum expers ægrotus: ſed cùm medicus dixerit, ſecundum artem medicinæ, ipſum ad finem jam accedere, vel in periculo magno mortis verſari, dari debet hoc ſacramentum, vt intelligat infirmus quæ dicuntur, & quàm deuotè poterit, Parocho vngenti ipſe reſpondeat. Quòd ſi in delirium, vel ſenſus habetudinem incideret, hoc deuotionis fructu priuaretur, quamuis non præcipuo huius ſacramenti fine, & ideo etiam in tali ſtatu danda eſt vnctio, ſi prius data non fuiſſet.

De ijs, quæ ſunt tractanda cum moriente, quod attinet ad coniunctos, corpus, & bona externa.

CAPVT III.

POſtquam circa ea, quæ ad animæ diſpoſitionem pertinent, officio ſuo functus erit, qui iuuat morientem, eodem fungatur circa ea, quæ ad prouidentiam eius erga ſibi coniunctos, & ad corporis & bonorum diſpoſitionē pertinent: quamuis aliquando expediet, vt poſt confeſſionem ſtatim iſta curentur. Redigat ergo ipſi in memoriam, ſi vxorem habet, vt eidem proſpiciat: ſi filios minores, vt eorum tutelam, & inſtitutionis curam, alicui relinquat, de quo ſperet, quod ipſorum commodis ſeriò conſulet: ſi filias domi habeat, nondum ſtatum vitę certum habentes prouideat, quoad eius fieri poſſit vt juxta vocationem Dei, vel in matrimonio, vel in monaſterio collocentur.

De prouidentia circa coniunctos.

Si nepotes, vel alios conſanguineos habet domi, quorum ſuſceperit curam, ſi ſeruos, vel familiam, cui debeatur ſtipendium, vel amplius quàm ſtipendium, memor ſit eorum, vt officio æquitatis, & etiam charitatis erga eos ſatisfiat.

Si fortè vel tutelam aliorum, vel bonorum principis, communitatis, vel priuatorum adminiſtrationem ſuſcepiſ-

De obligationibus alijs.

ſet

ſet, vel officium publicum gerit, de quibus vel reddere rationem, vel aliquid facere, aut dicere teneatur, vt ſuæ conſcientiæ, & aliorum communi, aut priuato bono conſulatur, admoneat, vt dum habet rationis vſum, & tempus, quàm expeditè poterit id faciat, vel alijs faciendum committat.

De corporis ſepultura.

De corpore etiam ſuo, vt conſtituat, vbi ſepeliri debeat (niſi conſtaret id jam conſtitutum eſſ) & quomodo, ſuggerat, horteturque eum, vt ita proteſtationis fidei ſuæ, & auxilij ſpiritualis, ac decentiæ ſtatus rationem habeat in apparatu exequiarum, vt pompæ ſuperfluæ, & ad ſolatium viuentium, non ad animæ propriæ vtilitatem facientes, ad decentem moderationem reuocentur.

De diſpoſitione bonorũ per teſtamentũ, vel codicillum.

Demum ipſum adhortetur, vt diſponat de bonis ſuis per teſtamentum juſtum & pium, memor quod non habemus hîc ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus. & ſi priùs teſtamẽtum feciſſet, ſuadeat, vt conſideret, an ei aliquid addere, vel detrahere, vel immutare putet neceſſarium, quod per codicillum fieri poteſt: & in eo (ſicut etiam in teſtamento) primo loco ſatisfieri jubeat eis, quibus aliquid debet, ſiue de familia ipſius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipſius ſint, ſiue non, quamuis ſi viuens poteſt his debitis ſatisfacere (vt dictum eſt) potiùs id curare deberet. Vxori ſi eã habeat, dos ſaltẽ aſſignetur: liberis, quæ illis jure naturæ, & ciuili, & etiam ex charitate debentur, relinquat.

De legatis piis.

Si præter ea bona, quæ creditoribus & heredibus, vt dictum eſt, debentur, ſuppetit facultas ad pia legata facienda (quandoquidem de quinta parte bonorum liberè poteſt diſponere, vel de alia, juxta leges patriæ) ſiue ipſemet petat cõſilium, ſiue non petat, quando ipſi vtile, & Deo gratũ fore videbitur, admoneat, vt eleemoſynas in teſtamento vel codicillo, ad pauperum, & piorum locorum ſuſtentationem relinquat; ſi tamen rerũ & perſonarum diſpoſitio id ferret, ſuadendum eis eſſet, vt etiam hæc potiùs viuentes faciant, quàm teſtamẽto legent: multò enim magis eum juuarent, ſicut magis vna quæ præfertur fax, quàm quatuor, quæ ſequuntur, confert ei qui per obſcurum locum ingreditur, ne labatur: nec tantum huiuſmodi, eleemoſynæ, & pia opera in vita facta ad ſatiſfactionem maiorem pro pœnis, ſed ad meritum etiam maius beatitudinis conferunt. vnde qui viuens diſpenſat, quæ po-

poteſt pauperibus, & pij locis, dicere po-
terit cum Laurentio: Facultates meas in
cœlum man⁹ pauperum deportauerunt.
Si fortè teſtamentum aliàs feciſſet, in
ſtatu animæ minus bono, ſuadendum
eſt ægroto, vt renouet intentionem pio-
rum legatorum, imò & omnium bono-
rum, quæ vnquam egit, & ratum habeat
quòd ibi, & quandocunq; fecit, vt ſi tunc
in ſtatu gratiæ non fuit, ſaltem modò le-
gata & opera pia rata habẽdo, & ad Dei
gloriam referendo, meritoria vitæ æter-
næ faciat. & ſi in factis hoc expedit, mul-
to magis in faciendis exhortari oporte-
bit, vt omnia, quæ eſt in teſtamento le-
gat, vel aliter facit, ad bonum aliquem
finem referat, & ſi quod opus perpetuũ
eſt, vt hoſpitale, vel monaſterium vel qđ
ſimile, caueat ne vanitas memoriæ ſui
relinquendæ potius, quàm Dei & proxi-
morum amor ipſum moueat, ſignifican-
do, quòd qui (non imminente neceſſita-
te ſubueniendi pauperibus præſentibus,
quæ præferenda eſſet) fundationes per-
petuas relinquit, cum præcipua inten-
tione cultus Dei, & ſalutis proximorũ,
maius præmium eſſentiale promeretur,
quam qui eiuſdem valoris eleemoſynas
in ſatisfactionem ſuorum peccatorum,
intra

intra tempus aliquod breue expendendas relinqueret.

Quamuis autem dirigere teſtatorem, vt dictum eſt, opus ſit magnæ pietatis, noſtri tamen propter conſtitutionem, quæ id prohibet, & propter rationem, quæ ipſius conſtitutionis cauſa fuit, teſtamentis condendis intereſſe non debent: & minus vtiq; ad eleemoſynas, vel legata nobis relinquenda, aut ijs, qui ad nos pertinent, morituros exhortari, noſtris licebit: ſed opera pietatis in genere commendent: & ſi videbitur expedire, vt quis ad aliqua particularia deſcendat (præſertim conſilium petente teſtatore ante tempus condendi teſtamenti) ea inprimis proponat, quæ maioris charitatis & ad proximos magis iuuandos opportuna videbuntur, vt quæ ad animarũ quæ in purgatorio ſunt, ſubuentionem: quæ ad religioſorum vtriuſq; ſexus pauperum qui cùm mendicare honeſtè non poſſint, inopia tamen magna præmuntur, auxilium: quæ ad captiuorũ redemptionem, quæ ad pauperum puellarum dotationem: quæ ad orphanorum vtriuſque ſexus ſuſtentationem, quę ad pauperum propter debita in carcere detentorum liberationem: & demum quæ ad hoſpi-

Noſtri condendis teſtamentis ne interſint.

hoſpitalium, & aliarum pauperum perſonarum, ac piorum operum ſubleuationem ſpectant: quamuis circunſtantiæ locorum, perſonarum, & rerum facere poſſent, vt præferri deberent quædam alioqui poſthabenda: ſi vir Eccleſiaſticus eſſet, & præcipuè ſi curam animarum haberet teſtator, vt Epiſcopus vel parochus, vtiliter in memoriam ei reduci poſſent pauperes, & opera pia ſuæ diœceſis vel parochiæ, quia cæteris paribus, eorum eſſet habenda ratio.

De executorũ qualitate & numero.

Refert etiam plurimùm, vt morientem, ad vtendum in condendo teſtamēto, opera virorum bonorum, prudentiũ, & peritorum, hortetur: & vt tales executores teſtamenti relinquat, quorum rectitudini, & ſi fieri poteſt, beneuolentiæ erga ſe & ſuos, poſſit confidere, & vltra duos vel tres teſtamentarios huiuſmodi relinqui, ferè non expedit.

Quid agendum, cum de neceſſarijs aliquid deeſt morienti, licet aliqua iam facta inueniat, qui aduocatur.

CAPVT IV.

Quomodo ad-

SI quando aliquis accerſitur ad eum, qui moritur juuandum, at jam ille con-

viaticū ad ducēdus ſit moriēs.

confeſſus eſt, ſed non communicauit, hortetur eum (ſi opus eſt exhortatione) ad viaticum Sanctæ Euchariſtiæ primo quoque tempore accipiendum, vt ab illo bonorum omnium fonte, vires hauriat ad labores ſuæ ægritudinis tolerandos, & ad ſecuriùs (ſi oportuerit) iter hoc laborioſum & periculoſum, quo à præſente vita in futuram tranſitur, peragendum: & poterit exemplum Heliæ adducere in figura huius Sacramenti, cùm fugiens Iezabelem, & ex tædio laborum & afflictionum, mortem deſiderans, & petens, pane ab Angelo allato cum vaſe aquæ refectus, ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem DEI Oreb, & alia huiuſmodi. Addit etiam poſſet maturandum eſſe, ne ſi vomitus vel aliud deglutiendi impedimentum ſuperueniret, priuetur huius Sacramenti ſingulari auxilio. Poterit etiam hortari, ſicut 2. cap. dictum eſt, vt ſe præparet ad dignè ſumendum hunc verum panem, qui de cœlo deſcendit, per reconciliationem, & alia media, de quibus etiam inſtruere ægrotum debebit. Et ſi volet ipſi confiteri, in reconciliatione poterit dextro modo petere, vt in capite octauo dicitur, an aliquid ſit,

3. Re. 19.

Ioan. 16.

quod

De reconciliatione eius, cuiꝰ confeßio non eſt audita.

quod grauet ipſius conſcientiam, quod omiſerit in confeſſione, vel non quantum par erat, explicauerit, vel quod ad reſtitutionem rerum, vel famæ, aut ad pacificationem cum aliquo pertineat: & tunc faciat, vt in 2 cap. dictum eſt. Petat etiam, an doleat de peccatis; & ſi conijcit, quòd eget maiori contritione, iuuet eum adhibendo ea media, de quibꝰ prædicto 2. capit. eſt actum, vel partem eorum.

Quomodo ad teſtamentum vel ad codicillum faciendum adducatur.

Si teſtamentum non fecit, hortetur ad illud faciendum, juxta ea, quę 3 cap. pręcedente dicuntur, nec differat in tempus difficilius, quod initio ægritudinis, imò in ſanitate factum oportuit. Et ſi factum quidem eſt teſtamentum, ſed aliquid videtur immutandum, addendum vel minuendum (quod vel ex verbis infirmi, vel ex aliorum relatu, aut alio pacto ſacerdos poterit cognoſcere) per codicillum id fieri poſſe admoneat, & ad ea, quę videt eius animæ maximè conuenire, facienda, quæ dum viuit fieri poſſunt, diſponere infirmum conetur, vt 3 capit. dictum eſt.

Quomodo ad extremam

Si ſolùm deeſt extrema vnctio, ad illam petendam hortetur, ſiue ſtatim, ſiue poſtea ſi differenda videbitur, vt ſuprà

etiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

etiam 2.cap diximus, bono tamen modo, ne terrore infirmus deijciatur, ſuadere oportet huius ſacramenti ſuſceptionem. His peractis, vt dictum eſt, ad id iam ferri debet eius, qui morientem iuuat intentio, vt in fidei, ſpei, & charitatis exercitatione, & conſolatione conjuncta, ad ſecuritatem ſalutis, & meritum, morientem diſponat, juxta ea, quæ quatuor ſequentibus capitibus continentur.

Vnctionem adducatur.

Si tempus prolixius morienti datur, & mens ſana eſt, aliqua ei legi poſſent ex his, in quibus ſpiritualem conſolationem & auxilium ſanus ſentiebat, & interdum (ſi timetur probabiliter, quòd ſit confeſſus negligenter) diuina præcepta explicari expediet, vt ſi quid oblitus eſſet in confeſſione, in memoriam reducatur.

Aduertatur etiam, ne nimia ſpes vitæ temporalis infirmo detur, accidit enim, vt propter incertam huiuſmodi ſpem, ad æternæ vitæ conſecutionem non, vt oportet, ſeriò ſe diſponat, hortari ſatis conuenit, vt per contritionem & theologalium virtutum exercitationem, perfectam animæ ſalutem, & profectum diligenter curet: & ſi expedit, vt corpo-

Nimia ſpes vitæ ne detur infirmo.

ris ſalus etiam reſtituatur, Deus eam adijciet.

Petatur ab infirmo, an quid faciendũ ſibi ſupereſſe putatur.

Quamuis audiat Sacerdos, qui ad moriturum accedit, quòd omnia ſacramenta is ſuſceperit, & teſtamentum condiderit, petere ab eo nihilominus poſſet, an aliquid ſit, quod conſcientia ipſi dictet ſupereſſe, & ſi dicet aliquid, in quo juuari eum oporteat, id faciat, ſi ſcrupulos tantùm, vel ſolicitudinem ac timorem non neceſſarium eſſe animaduertit, bono animo, & quieto eſſe jubeat, & ad alia, quæ inferius dicuntur, ſe conuertat.

Quomodo exercendi qui moriuntur, circa fidem præcipuè qui non diſtinctè, quæ oportet, nouerunt.

CAPVT V.

Quomodo inſtruendi qui non ſatis explicitè credit, quæ oportet.

SI animaduertet, qui juuat morientem, quod in ijs, quæ ad fidem pertinent, quamuis omnia, quæ oportet credat, non tamen explicitè prout tenetur credat: neceſſarium eſt ei in hac etiam parte auxilium ferat. hoc autem fiet per aliquam expoſitionem articulorum fidei breuem, & captui perſonæ accommodatam: vt ſi dicat ad eum, dicamus chariſſime frater, vel domine, ſimul A-

poſtolo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſtolorum ſymbolum, & illud inchoando, vel ſi videbitur, abſoluendo vernacula lingua explicet modo paraphraſtico ſingulos articulos, quos Latinè dixerit: vel eos, quorum explicatione magis egebit infirmus pro ijs, qui peritiores alioqui ſunt, vel ſibi videntur, & tamen indigere aliqua diſtinctione cognitione articulorum fidei deprehenduntur, poſſet alius ſumi modus, ſcilicet ſe commendantis Deo, vt dicat, præeunte eo qui juuat: Commendo me tibi ſancta Trinitas, Pater, Fili, Spiritus Sancte, qui in vnitate ſubſtantiæ vnus & verus es Deus. Commendo me tibi Pater omnipotens, qui me, imò & cœlum & terram, & omnia viſibilia, & inuiſibilia creaſti. Commendo me tibi Domine Ieſu Chriſte qui propter me, & generis humani ſalutem, miſſus à Patre æterno in hunc mundum, virtute Spiritus Sancti conceptus, & natus homo es de Maria virgine, paſſus, mortuus, & ſepultus, ad inferos deſcendiſti, & liberatis ex eo ſanctis Patribus, & alijs electis, reſurrexiſti tertia die, & aſcendiſti cum omnibus, quos de limbo eduxeras, in cœlum, & ſedes ad dexteram Patris, inde venturus in die judicij ad omnes homines (qui tunc

Quomodo qui videntur ſibi peritiores inſtruantur, per modum orationis.

reſurgent in corporibus ſuis) ſimul judicandos, vt illis, qui in gratia tui mortui fuerint, vitam æternam dones; eos qui in peccatis mortalibus, ſine pœnitentia deceſſerint, in ſupplicium æternum condemnes. Commendo me tibi Spiritus Sancte: qui ex Patre & Filio procedis, quem cum Patre, & Filio ſimul adoro & glorifico: qui viuificas vnam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, in quo ſeptem ſancta Sacramenta ad peccata remittenda, & ad gratiam tuam hominibus per ea conferendam conſtituiſti; & ſupplex à te peto, per IESVM CHRISTVM ſummum mediatorem noſtrum, per beatiſſimam eius Matrem, per Angelos & Sanctos tuos, vt me ad beatitudinem, quam tuis electis præparaſti, ſimul cum Patre & Filio perducere digneris, Amen. Idem per modum oblationis fieri poſſet: vt, Offero me tibi ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte &c. vt ſuprà Poſſet & modus obſecrationis addi hac ratione: Miſerere mei ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, vnus Deus propter bonitatem infinitam, qua per verbum increatum, omnia viſibilia & inuiſibilia creaſti, &c qua perditum genus homi-

Quomodo per modum oblationis per modum obſecrationis.

num

num redemiſti per verbum incarnatum, &c. qua Eccleſiam ſanctificaſti per Spiritum ſanctum, &c.

Poſſet hoc fieri & per modum gratiarum actionis, vt ſi quis diceret: Gratias ago tibi Deus omnipotens, Pater, Fili & Spiritus Sancte, trinus & vnus Deus, qui me & vniuerſa creaſti: gratias ago tibi fili Dei altiſſime Ieſu Chriſte, qui pro me, & toto genere humano, homo factus es; & ſic incarnationis myſteria proſequi poterit; & de Sancta Eccleſia & Sacramentis, remiſſione peccatorum, carnis reſurrectione, & vita æterna.

Quomodo inſtruetur per modum actionis gratiarum.

Poſſet idem fieri & per modum erigendi ægrotum in ſpem, dicendo, vt memor ſit, qualem habeat patrem, per creationem, & adoptionem, & ita explicabit aliquid de articulis diuinitatis, & qualem habeat redemptorem, ſcilicet Ieſum Chriſtum, & ſic explicare poterit myſteria incarnationis: & qualem conſolatorem, & ſic explicabit, quæ de Spiritu ſancto, & eius effectibus reliqua pars ſymboli continet.

Quomodo per modum erigendi ſpem.

Poſſet & teneri alia via quaſi ponderationis, vt ſi diceret ægroto, Frater memor eſto Dei omnipotentis, Patris,

Idẽ per modum ponderationis.

& Filij, & Spiritus ſancti, qui dedit tibi & rebus omnibus eſſe, virtutem & omne bonum, quia creator eſt Cœli, & Terræ, & vniuerſi: memor eſto Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro te, & toto genere humano, cùm eſſet verbum patri coæternum, & coæquale, homo fieri voluit: & ſic de reliquis articulis, & aduerte quòd quamuis ægrotus ſciat explicitè articulos fidei, quantum ſatis eſt, quia tamen exercere actum fidei, meritorium & ſanctum eſt, & quia fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum; aliqua ex præcedentibus opportunè cum ægroto tractentur, variando modum in proponendo, & nunc hoc, nunc illo vtendo.

Quomodo ſit ſpes erigenda & exercenda.

CAPVT VI.

Triplex diſpoſitio circa ſpem.

QUI juuat morientem, circa ſpem tripliciter procedere poteſt cum eo, ſecundum quod triplex eſt ægrotantis diſpoſitio circa illam, aliqui enim defectu ſpei valde laborant, ſiue ex complexione timenda id accidat, ſiue ex memoria peccatorum multorũ, & magnorum, ſiue ex Dæmonis inſtigatione, qui vt ſanis miſericordiæ Dei, ſine juſtitia, conſiderationem proponit, vt pec-

care audeant, ita morientibus juſtitiam ſine miſericordia, ob oculos ponit, vt de venia deſperent. alij contra excedunt in ſpe, vel quia cogitant bona, quæ ſibi egiſſe videntur, & de ſua juſtitia præſumunt; vel quia ſolùm in Dei miſericordiam, & Chriſti meritum oculos conijciunt, & ſuorum peccatorum ac juſtitiæ Dei obliuiſcuntur, & vt priores erigendi, ita poſteriores dirigendi ſunt, alij ad neutrum videntur extremum declinare, ſed tamen ad meritum exercitationis ſpei, & conſolationem ipſorum, ſunt ijs, quæ ad ſpem pertinent, juuandi, & exercendi, de his modò agetur, de alijs infrà ſuo loco.

Quomodo deſiderium beatitudinis excitandū. Cùm autem primarium ſpei objectum ſit Deus, vt fons & auctor beatitudinis: vt ſpes erigatur, & exerceatur, duo nobis curanda ſunt, alterū eſt, vt in moriente deſiderium excitetur beatitudinis alterum vt confidentia de ea obtinenda augeatur. deſiderium excitatur hæc vel ſimilia dicendo, magis vel minùs explicando, prout opus eſſe videbitur. Chariſſime mi, bono animo eſto, jam accedit finis peregrinationis tuæ, & laborum, & afflictionum, quibus plena eſt vita præſens: dic cum ſancto

*Pſal.*121 Propheta: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, vbi nullam ſenties moleſtiam, nullum dolorem experieris, quia juxta eundem
Pſal. 92 Prophetam. Non accedet ad te malum, & flagellũ nõ oppropinquabit taberna-
*Apo.*21. culo tuo, &, vt Ioannes ait: abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, neque clamor, neque dolor erit vltra, fugiet dolor gemitus. Erige oculos mentis ad cœleſtem illam & ſecuriſſimã ciuitatem, vbi nulla jam pericula peccandi, nullæ tentationes mundi, carnis, vel dæmonis, ſed victoriæ jucundiſſimus fructus capietur, quàm libenter cantare velles cum alijs beatis, ô frater: tran-
*Pſal.*65. ſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium? quam libenter experireris illud Prophetæ: Ecce ego decli-
*Eſai.*66 nabo ſuper eos quaſi fluuium pacis? quã beatum eſt, nulla jam in re offendere o-
*Luc.*1. culos Diuinæ Maieſtatis, ſed viuere in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, id eſt, in tota æternitate? Chariſſime non habemus hic ciui-
*Heb.*13. tatem permanentem (vt ait Apoſtolus) ſed futuram inquirimus, ſcilicet patriam noſtram Hieruſalem cœleſtem, ciuitatẽ pulcherrimam, ſpatioſiſſimam, amœniſ-
ſimam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimam. Dic cum Propheta: Stantes erant *Pſ. 122.*
pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.
Dic cum eodem. Quàm dilecta taberna- *Pſal. 83.*
cula tua Domine virtutum, concupiſcit
& deficit anima mea in atria Domini: qa
melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper
millia. O quàm gaudebis, cùm in ea in-
ueneris ciues tam amabiles, tam nobi-
les, tantæ dignitatis, tantæ opulentiæ!
ideo dicitur regnum cœlorum, quia ſin-
guli ſunt Reges, juxta illud Apocal. Feci- *Apoc. 5.*
ſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdo-
tes, & regnabimus ſuper terram, non ſu-
per iſtam terrã, vbi Reges ad breue tem-
pus, & cum magna ſolicitudine & labo-
ribus regnant: ſed ſuper terram viuentiũ,
vbi ſumma quies, vbi vita eſt perfecta, vbi
mors exulat in ſempiternum, vbi omnes
ſunt filij Dei, & ſi filij & hæredes, quàm *Rom. 2.*
jucundum erit verſari cũ ſocietate tam
numeroſa, id eſt cũ Angelis & Sanctis o-
mnibꝰ, ſapientia ac virtutibus ſplendidiſ-
ſimis, tanta charitate ſe inuicẽ diligenti-
bus, vt propter eam ſinguli, omnium a-
liorũ bonis, tanquam proprijs fruantur.

Ne ſis ſolicitus ſi corpuſculum hoc
conſumitur, quia ſeminatur per mortẽ
in terra, vt reſurgat ſuo tempore victu-
rum in cœlo Empireo, ſed multò melius

diſpoſitum, quàm modo eſt nam (vt in-
1. Cor. 1. quit Apoſtol⁹) ſeminatur in corruptione,
ſurget in incorruptione : ſeminatur in
ignobilitate, ſurget in gloria : ſeminatur
in infirmitate, ſurget in virtute: ſemina-
tur corpus animale, ſurget ſpirituale, &
declarari poſſunt hæc, vt videbitur, & di-
uidi rurſus dici poteſt (ſed magis ijs, qui
prudentiores ſunt & eruditiores) Chariſ-
ſime, à tenebris ignorantiæ huiuſmodi
ad ipſam lucem veritatis, & hominibus
Exod. 33 dum hîc viuunt, abſconditam, pergis.

Non videbit me homo, & viuet, dicit
Dominus de viuentibus in vita morta-
1. Tim. 6 li, de quibus etiam ait Apoſtolus, quòd
Deus lucem habitat inacceſſibilem: ſed
ijs, qui ad cœleſtem vitam perueniunt,
æternam ſuam varietatem & infinitam
pulchritudinem facie ad faciem Deus
oſtendit, & tantum bonum eſt illam vi-
dere, vt ſatis ſit ad beatos in perpetuum
Ioan. 17 faciendos, tam homines, quàm ſpiritus
Angelicos, ea viſio. Vnde Chriſtus ait:
Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te
ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ie-
ſum Chriſtum. Sed cum hac viſione ſum-
mi veri, & ſummi pulchri conjuncta eſt
fruitio ſummi boni, & poſſeſſio in æter-
num duratura ſummæ jucunditatis,
vnde

vnde Eſaias , & poſt illum Paulus ait,
quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, *Eſai. 46*
nec in cor hominis aſcendit, ſcilicet quã *1.Cor. 2.*
ta ſit magnitudo felicitatis, quam præ-
parauit Deus diligentibus ſe, quam, vt
poteſt, deſcribens Propheta, ait. Inebria- *Pſal. 35.*
buntur ab vbertate domus tuæ, & tor-
rente voluptatis tuæ potabis eos, quoni-
am apud te eſt fons vitæ. dic ergo chariſ-
ſime, cum Dauide. Sicut ceruus deſide- *Pſal. 41*
rat ad fontes aquarum, ita deſiderat ani-
ma mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad
Deum fontem viuum, quando veniam,
& apparebo ante faciem Dei? & cum eo-
dem. Hei mihi, quia incolatus meꝰ pro- *Pſal. 119*
longatus eſt, & cum Paulo. Cupio diſſol-
ui, & eſſe cum Chriſto, &c. nec omnia o- *Phil. 1.*
mnibus ſimul, ſed ex his aliqua, quæ vi-
debuntur, dicenda ſunt, & paulatim, &
vernacula vel Latina lingua, prout mo-
riens melius intelliget, vel prout eidem
gratius erit, & iuuanti commodiùs.

Quod attinet ad confidentiam de ob- *De ijs*
tinenda beatitudine, & medijs, quæ ad *quæ con*
eam ducunt, ſcilicet gratia, virtutibus & *fidentiã*
meritis, qui iuuat morientem, tripli- *firmam*
ci vti poterit via. Vna, exhortando ad *adiuuãt.*
eas bonas operatiões, quę poſſunt ab æ-
grotante in eo ſtatu præſtari, cuiuſmodi

ſunt eleemoſynæ in vſum pauperum & piorum operum, vt ſuperius dictum eſt, vel viuente ipſo (quod magis optandum eſt) ſi commodè fieri poteſt, larga manu donatę, vel teſtamento aut codicillo ſaltem relictæ, diſcretione tamen vtatur, qui juuat morientem, nę quid ſuadeat, quod ſecundum rationem, & cum ædificatione fieri nequeat Actiones etiam interiores exercentes Fidem, & Spem & Charitatem, & ſimul contritionem (de quibus in præcedente, & hoc & ſequente capitulo agimus) multùm conferunt ad confidentiam augendam, imò & charitatem ſi ſeriò & cum affectu fiant, vt morte vicina fieri à quibuſdam ſolet.

Per conſiderationem ſpes excitatur, primò bonitatis Dei.

Alia eſt via conſiderationis, cùm ea proponit, qui juuat morientem, quæ apta ſunt ad erigendum, & roborandum affectum fiduciæ, & ęgrotus adniti debet vt præeuntem, ſaltem mente ſequatur. Proponere ergo poteſt hæc & ſimilia ad hunc modum: Chariſſime N. ſi valdè amabilis, & deſiderabilis eſt tibi gloria beatorum, erigere in confidentiam eius obtinendæ, nec vires tuas debiles conſideres, ſed audi Pſalmiſtam dicentem: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Scito quòd DEVS

Pſal. 26

cuius

cuius eſt dare gratiam, & gloriam, tibi vult eam conferre, qui bonitas eſt infinita, & per ſuammet naturam ſui diffuſiua, & communicatiua ſuæ beatitudinis: & tantæ generoſitatis ac nobilitatis eſt, vt libentiùs det magna, quàm parua. Adde, quòd àmat te, vt artifex amat ſuum opus, imò vt pater filium ſuum, cuius bonum magis deſiderat, quàm ipſe filius. Vnde tu non tam ardẽter deſideras beatitudinem obtinere, quàm Deus deſiderat eam tibi dare: quare ergo non confides te obtenturum? ad hoc vt eſſes beatus, è nihilo creauit te: & vt perditum à primis parentibus ius regni cœlorũ recuperares, per mortem vnigeniti Filij ſui in baptiſmo adoptauit te: & cum propter peccata propria illud ius ſæpe perdideris, per gratiam contritionis & ſacramentum pœnitentæ, in virtute ſanguinis Chriſti, ſæpe in priſtinum ſtatum reſtituit te, vt ſis filius, & hæres regni ſui, ſi te fugientem, & contemnentem ſe, tot modis quæſiuit, vt ab ipſo, id eſt ſummo bono non excideres, quantò magis cupientem, & quærentem, ad illud promouebit.

Secũdo, meritorũ Chriſti.

Verte rurſus oculos, chariſſime frater, ad Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum,

ſtrum, & conſidera ea quæ pro te agere & pati triginta tribus annis dignatus eſt, & quod propter diuinæ perſonæ dignitatem infinitam, & propter excellentiſſimæ gratiæ, charitatis, obedientiæ, & patientiæ profectionem, excedit eorum valor omnia creata bona, tam temporalia, quàm perpetua, quæ omnibus & ſingulis hominibus conferri poſſunt; & tamen iuſtum eſt, vt tanto pretio pro nobis ſoluto, fructus noſtræ ſalutis reſpondeat: ipſe autem eſt ad quem pertinet beatitudinem tibi donare, qui tantoperè te amauit, & beatum facere concupiuit, vt propter id factus ſit homo, propter id mortuus ſit in cruce, propter id ipſum in cibum, in Euchariſtia, ſe tibi tradiderit, vt ſicut tibi in hac vita ſe dat velatum ad meritum, ita in vita æterna ſe tibi det reuelatum ad gloriam, quomodo ergo talis frater te non cohæredem faciat, qui ſic exinanitus, & pauper pro te factus eſt? talis amicus, qui pro te nihil petente dedit vitam ſuam, te ſupplicem & ab ipſo beatitudinem cum fiducia petentem, non exaudiet?

Tertiò, tot interceſſorũ Mariæ.

Vide etiam chariſſime, quàm multos interceſſores habeas apud Deum, quantæ auctoritatis apud ipſum, quàm tibi

tibi beneuolos, in primis beatam eius Matrem, quæ eſt felix cœli porta, & ſi dum viueres tibi fuit mater gratiæ, ma ter miſericordiæ, vt nõ excideres à ſum mo bono propter peccata, ſed ad illud per diuina auxilia promoucreris, multò magis in hac hora tibi erit propitia. Dic ergo illi. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum vẽtris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, & quæ ſequuntur. Omnes hierarchias & ordines cæleſtes, & peculiariter Angelũ tuum cuſtodem, tibi adeſſe intellige pete & dic: Omnes Sancti beatorum ſpirituum ordines, intercedite pro me. Omnes Sancti, & illi præcipuè, qui tibi viuenti patroni fuerunt, in tempore opportuno, quale hoc eſt, nõ tibi deerunt: pete eorum ex animo auxilium, & dic: Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro me, hæc vtilia etiam erunt ad diffidentes erigendos, de quibus infrà.

Angelorum & Sanctorum.

Alia eſt via ad ſpem excitandam, ſcilicet orationum, quæ breues formari debent ex ſcripturis de ſumptę vel deriuatæ vt præeunte eo, qui iuuat, ſequatur ægrotus, ore ſimul & corde, vel ſaltem corde, quales ſunt, quæ ſequuntur:

Per orationem ſpes excitatur.

Pater

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pater ſancte, qui creaſti me ad te, inquietum eſt cor meum, donec perueniat ad te: ducas me precor, licet propter peccata indigniſſimum, ad te vltimum & feliciſſimum finem meum, per infinitam miſericordiam tuam.

Pater, qui me figmentum manuum tuarum in gratiam vnigeniti Filij tui adoptaſti, & eius cohæredem eſſe voluiſti, quamuis propter peccata mea indigniſſimus factus ſim tanto bono, fac mecum ſecundum diuitias bonitatis tuæ, & per eundem Dominum Ieſum Chriſtum deduc me ad confitendum nomini tuo in ſempiternum.

Pater, qui vt ſeruum redimeres, vnigenitum Filium tuum dediſti, & in eo peccata noſtra puniuiſti, miſerere mei, & ne permittas ab vltimo me fine excidere, nec pereat in me tantum pretium, quo redemiſti me, ſanguinis ſcilicet & vitæ Filij tui dilectiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Pſal. 30. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. In Domino meo Ieſu Chriſto, qui factus eſt mihi iuſtitia, ſanctificatio & redem- *2. Cor. 1.* ptio ſalua me, & ad te videndum deducere digneris.

Qua-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. *Pſal. 4.*

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Deducat me bonitas infinita, ad locum, vbi te perpetuò laudare, & de tam multis magniſque beneficiis agere dignè gratias in ſempiternum poſſim.

Domine Ieſu Chriſte, qui doloribus & afflictionibus mihi debitis, animam & corpus tuum ſacratiſſimum impleuiſti, vt bonis æternis, & felicitate debita, animum & corpus meum impleres, tu dixiſti. Ego ſum reſurrectio & vita, & qui *Ioan. 12* credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & qui viuit & credit in me, non mo- *Pſal. 26.* rietur in ęternum, credo in te miſericordiam tuam, & ſpero videre bona tua in terra viuentium, adiuua me per temetiſum, Deus meus.

Introibo in domum tuam, adorabo *Pſal. 5.* ad ſanctum templum tuum, & confitebor nomini tuo, te deducente, Domine Ieſu Chriſte, & ad temetipſum perducente, qui es via, veritas & vita noſtra.

Prouidebam Dominum in conſpe- *Pſal. 15.* ctu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi

mihi, ne commouear; propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea inſuper, & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno: notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.

Quomodo ſpei miſcenda eſt contritio. Pſal. 50.

Vt etiam cũ ſpe contritio miſceatur, poſſent dici ſequentes verſus, Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam: Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatẽ meam Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato mea munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, & infrà. Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris

tui,

tui, & ſpiritu principali confirma me.

Ad reparanda etiam mala, ſibi & proximis illata, & bona amiſſa, vel omiſſa, vel imperfectè acta, poſſet ſequentes dicere, quos voce vel ſaltem animo ſequatur ægrotus interpolatim, vel vt opportunius videbitur. Domine Ieſu Chriſte, reparator meus es tu, inſtaura ergo quæſo, quæ ego deſtruxi in meipſo, abutendo donis tuis ingratiſſime cōtra te: & in proximis, malo exemplo verbis & actionibus meis ipſum offendens repara quęſo detrimēta vitæ meæ, quam heu nimis inutiliter & malè tranſegi, amittendo dona tua, & omittendo quæ agere ad profectum meum, & proximorū debui: ſed tu de theſauro tuo inexhauſto reſarcire potes omnia hæc damna: ſupple etiam amantiſſime Domine IESV, imperfectionem actionū mearū quæ propter tepiditatem meam, & admixtionem vanitatis, & aliarum mearum imperfectionum, ex parte mea exigui ſunt valoris, & meriti, niſi de tua plenitudine earum defectum ſuppleueris, coniunge obſecro indigniſſimū obſequium meum cum omnibus, quæ tu egiſti & paſſus es ex tam perfecta charitate & obedientia: & cum diuitiis ſatisfactionum & meritorum

Spes extēditur ad reparationē vitæ anteactæ.

torum dilectionis tuæ, patri æterno illud offerre digneris, vt de tua plenitudine mea paupertas ditetur coram diuina iuſtitia, & bonitate: & ſic aliæ poſſent formari orationes, ſi ſit opus.

Spes extēditur ad pœnam peccatorum deprecādam.
Mat. 18.

Ad deprecandam etiam pœnam, & pro Indulgentia plenaria ſupplicādum, poſſunt dici ſequentes orationes. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui etiam ſerui bona tua diſſipantis & nequam miſertus omne debitum eius dimiſiſti, quia rogauit te, ego ſeruus ille nequiſſimus, qui toties non temporales ſolûm, ſed æternas pœnas commerui, à te tamen ſuppliciter peto, vt propter bonitatem tuam, & propter paſſionem & mortē Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo omnes noſtras iniquitates poſuiſti, & puniuiſti, condones mihi vniuerſa delicta mea, & pœnas etiam propter ea debitas, dimittere digneris.

Ioan. 3.
Matt. 6.

Domine Ieſu, cui pater omne iudiciū dedit, qui dixiſti: ſi dimiſeritis hominibus peccata eorū, dimittet & vobis Pater veſter cęleſtis delicta veſtra. Ecce ego ex animo dimitto propter te, omnibus, qui me quocunque modo offenderunt: & ſi in multò pluribus me offendiſſent, propter te paratus eſſem eis dimittere.

Cle-

Clementiam ergo tuam precor, vt ſecũdum multitudinem miſerationum, & veritatem promiſſionum tuarum, efficaciter applices mihi ſatisfactionis, quam pro me perſoluiſti, theſaurum, & perfectè dimittas peccata mea, veniam ad omnes culpas & pœnas extendendo, vt ex cuſtodia corporis educta anima mea, citiùs ad confitendum nomini tuo, & ad miſericordias tuas in æternum cantandas perueniat, & aliæ eiuſmodi formari poſſent, quædam ex his, quæ 6. cap. dicuntur, ad ſpei exercitationem (vt etiam fidei & charitatis, & contritionis) crucifixi imaginem in manibus habendo, vtiliter dici poterunt. *Pſa 141.* *Pſal. 83.*

Quomodo charitas in moriente ſit exercenda & promouenda.

CAPVT VII.

QVod attinet ad charitatem ſeriò det operam qui iuuat morientem, vt in ea exerceatur & inflammetur, eſt enim finis & ſumma bonorum omnium, & optima diſpoſitio ad tranſeundum ab hac vita in futurã, imò quia maior, Deo augente, reddi poteſt piis actionibus, ſi intenti ſint, & ad præmium augendum

valde

Charitas inflammatur per modum conſiderationis.

valde conferre, ſeriò in id eſt incumbendum. Primò per modum conſiderationis. Secundò per modum orationis. Tertiò per modum exemplorum, ſubiungendo & admiſcendo, quæ cõtritionem veram charitate informatam, augeant. ſic ergo moriẽtem alloqui poterit. Chariſſime N. lex & prophetæ pendent ex dilectionis præcepto, quo ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus diligere Deum oportet, non tantùm quia nobis ſummè neceſſarius eſt, & ſũmè vtilis (cùm & noſtrum eſſe & bene eſſe, ac tota beatitudo noſtra, & eorum, quos amamus, ex ipſo pẽdeant) ſed multò magis amore puro diligendus nobis eſt, gaudendo de ipſius omnipotẽtia, ſapientia bonitate, & felicitate infinita, & optãdo, vt omnes homines eũ cognoſcant, honorent, obediant, & diligant eũ, & id imprimis propter ſuam abſolutiſſimam perfectionem, & bonitatem, ob quam digniſſimus eſt amore, dic quæſo, ſi homo aliquis, omnium hominũ perfectiones, & excellentias in ſe haberet, id eſt, omnem ſapientiam, virtutem, pulchritudinem, nobilitatẽ, bonitatem, ac felicitatem, quàm dignus eſſet amore? ac certè in DEO non tantùm hæ perfectiones

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctiones, & omnium aliarũ rerum viſibilium, aut etiam Angelicorum ſpirituum inuiſibilium (quæ ſine comparatione maiores ſunt) inueniuntur, ſed ipſe eſt omnibus aliis fons totius ſapientiæ, virtutis, pulchritudinis, ſuauitatis, nobilitatis bonitatis, & felicitatis, & omniũ perfectionum & excedit omnia ſimul in infinitũ, ita vt omnium creaturarum ſapientia, bonitas, decor, & reliquæ perfectiones, quæ ipſas reddunt amabiles, ſi cum diuinis comparentur, veluti nihilum ſint reputandæ, quæ enim eſt comparatio finiti ad infinitum? quantũ ergo debemus amare Deum, propter ſeipſum, cuius perfectionis immenſæ vel ſola viſio beatos homines & Angelos facit.

Secundò diligendus eſt propter eius charitatem præuenientem, quoniam ipſe prior dilexit nos, & quidem affectu, ſine comparatione maiore, quàm vllus pater ſuum filium; vel vllus amicus ſuum amicum: vel vllus ſponſus ſuam ſponſam. Ideò iis nominibus Patris: amici: & ſpõſi vocari voluit: vt ex nominibus: quæ ardentiſſimã inter homines dilectionem ſignificãt: quanta ſit eius in nos dilectio aliquo modo intelligamus. Si ergo amor cuiuſuis: qui te amaret: ad reda-

Propter præuenientẽ eius dilectionem.
1. *Ioh.* 3.
Marc. 9.
Ioan. 3.
Matt. 6.

man-

mandum obligaret, & ſi eſſet magnæ dignitatis, vt Rex aliquis, vel Pontifex, magis adhuc à te redamari deberet, qua quæſo charitate Deum diligere debes, qui perpetua charitate dilexit te? certè ſi propter ſemetipſum amare pigebat tãtæ perfectionis Deum, ne pigeat cũ redamare tanta te dilectione præuenientem.

Propter beneficia naturæ, vel creationis.

Tertiò diligendus eſt propter beneficia, quę etiam beſtias ad redamandũ cogere ſolent, vt de leonibus legimus, & de aliis quotidie videmus, conſidera beneficia naturæ, certè à Deo accepiſti eſſe tuum & vitam, quàm habes qui parentibus tuis virtutẽ ad corpus tuũ generandum dedit, & ipſe animam tuam ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, memoria, intellectu, & voluntate præditam, & beatitudinis æternæ capacem creauit, ſi oculi tui, ſi auditus ſi reliqui ſenſus, ſi omnia corporis membra, ſi creaturæ aliæ quas in cibum & potum & veſtimentum & habitationem & alias commoditates tuas & auxilia, tibi dedit, & grata & amabilia fuerunt: ſi cœlum ipſum & Angelorum miniſteria tantum tibi vtilitatis & honoris tribuerunt, quantum debes amare illũ, qui tibi omnia gratis donauit ex amore puriſſimo, quo te dilexit, nul-

nullam ſuam vtilitatem à te expectando ſed tantum amoris compenſationem requirendo ?

Propter beneficia gratiæ, vel redemptionis.

Propter beneficia gratiæ maiorem etiam debes DEO gratitudinem : cùm pater æternus, vt te ſeruum redimeret, ſuum filium vnigenitum dederit : &quidem, vt te à morte ęterna liberaret, mortis acerbiſſimam pœnam ſubire ipſum voluerit; filius etiam ipſe, vt te ouem perditam ad cœlum humeris ſuis reduceret, humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & laborans, vſque ad mortem crucis, vt eius inopia & doloribus tu diues & beatus eſſes ; Spiritus Sanctus te inhabitare dignatus eſt, & tam multis peccatis per gratiam ſuam expulſis, te donis ſuis & chariſmatibus precioſiſſimis ornare voluit: &nunc in vltima vitæ tuæ parte, tempus & commoditatem te præparandi ad hunc tranſitum dedit, nec ſubita morte te occupari permiſit, vnde gratias agere ex animo debes.

Propter beneficia glorificationis.

Propter beneficia gloriæ tibi præparatæ, quantum debes diligere DEVM : qui te conſortem regni ſui & felicitatis æternæ, vt filiũ & hæredem, imò vt ſpõſam eſſe vult, vbi bona percipias, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in

cor hominis aſcenderunt? & certè ſi beneficia hæc ſunt magna, modus conferendi, & charitas, qua conferuntur: ipſis beneficiis maiora ſunt: & magis te ad redamandum obligant.

Charitas per modum orationis inflammāda. Per modum orationis poteſt & idem accendi: dicendo aliquid ex ſcripturis ſanctis excerptum: vel aliter: quale illud eſt: Domine tu dixiſti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: ex tota anima tua, & tota mente tua, & totis viribus tuis, auge ergo gratiam tuam, auge charitatem in me, vt ſicut tu vis diligi à me, & ego cupio diligere te, ſic te diligam: & quod in hac vita perfectè implere non poſſum, in æterna implere te concedente, valeam.

Matth. 22.

Pſa. 72. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, Pater cœleſtis? defecit caro mea & cor meum, DEVS cordis mei & pars mea DEVS in æternum, da mihi obſecro, vt non tantùm ſuper omnia diligam te, ſed omnia in te & propter te, & ſecundum te diligam, & ſis mihi tu omnia in omnibus, & in hac vita & in æterna.

1. Cor. 15 Quis mihi tribuat, vt perfectè diligam te, bonitas infinita? quando occupabis totum cor meum; quando totus ero

tuus,

tuus, ſicut totum me tibi multis modis debeo? veniat iam, quæſo, illa hora, qua totum me poſſidere digneris, & totum cor meum tibi ego præbere poſſim. *Hier. 3.*

Domine IESV CHRISTE, qui perpetua charitate dilexiſti me, qua cùm non eſſem, creaſti me: qua cùm perditus eſſem, reparaſti me: qua cũ toties propria culpa periiſſem, ad gratiæ vitam reſuſcitaſti me: qua te ipſum totum dediſti mihi: ſi me totũ toties debeo pro me quid debeo tibi pro te, qui infinitum melior es me? adde hoc beneficiis tuis, Deus meus, vt ſine modo, & puriſſimo amore diligam te nunc & in ſempiternum.

Spiritus ſancte, qui amor es & donum immenſum Patris, & filij, qui per chariſmata tua nos inhabitare, & teipſum nobis donare dignaris, auge in me, obſecro puriſſimam, & ex totis viribus, ac tota fortitudine, tui dilectionem in hac vita, quæ conſummetur, & perficiatur in æterna.

Congaudeo & congratulor ſuperadoranda, & ſuperamanda Trinitas, de infinita magnitudine perfectionis, pulchritudinis, ſapientiæ, poteſtatis, & cõpletiſſimæ felicitatis tuæ, & eã incomparabiliter pluris, quàm meã & omnium crea-

turarum felicitatem æſtimo, & vt puriſſimum hunc tui amorem in hoc exilio augeas, & in patria perficias obſecro.

Per modum exempli aliqua prætérea dici ad hunc finem poſſunt, vt de beato Ignatio, in cuius corde nomen Ieſu inſculptum inuentum eſt. De Arſenio, qui aliquando totus quaſi ignis, exterius, ob ardorem interioris charitatis, conſpectus eſt, de Beato Paulo, qui transformatus per amorẽ in Chriſtum, dicit, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. De Beato Antonio, qui cùm noctem oratione ardentiſſima tranſegiſſet, Soli iam orienti conquerens, dixit: quid, ô Sol, à veri luminis contemplatione me impedis? beatus Franciſcus, per ardentiſſimum amorem crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſtigmata eius in pedibus, manibus, & latere habuit, à Seraphin impreſſa, inuento etiam Ioanne de Rusbroech ſub arbore, ardere arbor ipſa viſa eſt, propter ardorem cordis eius in amore Dei.

Charitas per modum exempli accẽditur.
Gal. 2

Dionyſ. Carthuſ.

Actus compunctionis ex affectu amoris deducendi.

Sed actus compunctionis ex hoc affectu amoris deduci opportunè poterunt ad hunc modũ. Heu me infelicem peccatorem, qui tantam bonitatem, tãtam maieſtatem Dei mei, toties rebus creatis & vili-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& vilibus poſthabui, heu mihi, qui, cui debui totis viribus meis placere, venerari, & obedire, eum potius offendi, contempſi, & mandatorum eius præuaricator fui, condona mihi tantam peruerſitatem meam Deus meus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Pater amantiſſime, qui præueniſti me in benedictionibus dulcedinis, qui abijciendum & vilem peccatorem ſic amaſti, & honoraſti; ego ſum ille ingratiſſimus & omnibus pęnis digniſſimus peccator, qui talem patrem, talem amatorem, talem benefactorem, toties & tam grauiter offendi: condona mihi, obſecro per mediatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti obedientiam & charitatem, omnia delicta mea: amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccatis meis munda me. Pater miſericordiarum, miſericordiam fac huic pauperculæ creaturæ, & figmento manuũ tuarum, adiuua me in hac vltima neceſſitate, ſuccurre animę egenti & deſolatæ, ne à malignis ſpiritibus à te abſtrahatur.

Domine Ieſu Chriſte, vt mundares animam meam, & lauares eam à peccatis, ſanguinem tuum effundere dignatus es: ego tamen infelix & miſer nimis pec-

cator, ſtolam illam puritatis in baptiſmo acceptam, multis modis maculaui, & heu me, pro tanta tua in me charitate, & beneficentia, multiplices offenſas ingratiſſimè retribui: ſed bonitas tua præſtabilis ſuper malitia mea, condonet mihi precor, vniuerſa delicta: applica mihi, quæſo, efficaciter pretioſiſſimam mortem tuam, & plenè ſatisfacere pro ſeruulo tuo, qui in te confidit, dignare, & in electorum tuorum numerum me recipi iube.

Regina cœli, miſericordiæ mater, refugium peccatorum, reconcilia me quęſo, vnigenito filio tuo, eius clementiam pro me interpellans: ob tui amorem mea remittat peccata, & in ſuam gloriam perducat.

Spiritus cœleſtes, Angeli beatiſſimi, & tu præcipuè cuſtos meus, aſſiſtite mihi migranti ab hoc ſeculo, & ab inſidiis aduerſariorum eripite, & vt in veſtrum conſortium admittat, adiuuare, ſic ad ſanctos, & eos præcipuè, erga quos maiorem habuit deuotionem, ſe conuertat, &c.

Quid facto opus, cùm quis ad iuuandum morientem aduocatur, à quo iam omnia neceſſaria facta eſſe perhibentur.

CAPVT VIII.

HActenus dictum eſt, quomodo ſe
habere debeat, qui ad eos, qui mo-
riuntur iuuandos ab initio vocatur, vel
certè cum aliqua de neceſſariis agenda
ſuperſunt: ſed aliquando aliqui accer-
ſuntur, ad iuuandum eum, qui iam Sa-
cramentis ſuſceptis, & teſtamento con-
dito vellet nihilominus ad bonum tran-
ſitum in futuri ſęculi vitam ſe magis diſ-
ponere, vel alij ad hoc ipſum Sacerdo-
tem noſtrum euocant. Tunc ergo, ſi
compos mentis eſt ægrotus, poſt aman-
tem ſalutationem, Euangelium illi ali-
quod, vt ſuperius dictum eſt, recitare po-
teſt, vt Marci vlt. Recumbentibus vnde-
cim diſcipulis. & orationem pro infir-
mis, cum impoſitione manuum, & po-
ſtea ad quatuor intentio iuuantis diri-
gatur. Primum eſt, vt ſi quid de neceſſa-
riis omiſſum eſt, ſuppleat. Secundum,
vt promoueat ægrotantem, in iis, quæ
ad Contritionem, & Fidei, & Spei, &
Charitatis exercitationem, & conſe-

Ad quatuor dirigenda eſt imẽtio iuuantis morientem.

quentem conſolationem & profectum pertinent. Tertium, vt animæ commendationem piè faciat. Quartum etiam aliquando addi poſſet, vt ad aſſiſtentium ædificationem aliquid dicat.

Quomodo ſupplendũ ſit, quod omiſſum creditur.

Quod ad primum attinet. ſcilicet ad ſupplendum ſi quid deeſſet, ſemotis arbitris petat, vt in fine quarti capituli attingitur, an pacata ſit eius conſcientia, an aliqua in re maiorem adhuc quietem & ſatisfactionem requirat, ſi dixerit aliquid eſſe, audiet & prouideat: ſi non diceret, & nihilominus probabiliter timeri poſſet, quòd aliquo ſupplemento opus eſſet, de ſequentibus poſſet cum dexteritate interrogare. Primò an aliquid memoriæ occurrat quòd non ſatis explicitè ſit confeſſus, & ſi id agnoſcit, per reconciliationem ſuppleri facilè poſſet.

Secundò, an aliquid cõſcientiam grauet, ratione reſtitutionis rei, vel famæ, & ſi recordatur tale aliquid, & ſuppetet tempus, & facultas: curandum eſt, vt id ſtatim fiat: vel ſi id commodè fieri non poteſt, ſaltem conſtituatur modus, quo certò & citò quantum fieri poterit, id fiat, vt non relinquatur id teſtamentariis exequendum, (qui ſæpe tardiores

ſunt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſunt, quàm conueniat) quod viuente infirmo peragi poteſt, ſi deeſt facultas, proponat, ſi Deus vitam dederit, cùm primum ea dabitur, facere quod debet: ſi deeſt tempus, non facultas, in teſtamento vel codicillo, quàm poterit accuratè, prouideat indemnitati creditorum, & vt quam citò fieri queat, illis ſatisfiat.

Tertiò interroget, an proſpexerit liberis (ſi quos habet:) & præſertim fœminis, vel cuicunque curæ, aut adminiſtrationi, quam habeat, publicæ, vel priuatæ. Et ante ingreſſum ad ægrotum debet (ſi fieri poteſt) informationem capere, an tale aliquod munus ei incumbat, & de aliis, quę poterit, & ad rem faciunt, ſibi ignotis, vt ſine cauſa non ſit infirmo per interrogationes moleſtus, & ſi aliquid prouidendum eſt, vel per adhibitam aliquam diligentiam, dum ægrotus viuit, vel per codicillum additum teſtamento, curet fieri.

Quomodo iuuādus quì verſatus eſt in rebus ſpiritualibus.

Quod ad ſecundum attinet, ſi is qui moritur in meditationibus exercitatus eſt, & ſponte ſua aliquid tacens meditari vel orare videtur, & ideo, quòd vir ſpiritualis ſit, probabiliter exiſtimatur, ſalubriter ipſum orare aut meditari, per-

mittendus eſt ſibi ad tempus, & in ſilentio ſimilibus orationibꝰ iuuandus: quia tamen in illa vitium animæ & corporis imbecillitate dubitari poteſt, an meditationi dare operam, vt oportet poſſit, interrogare ab eo blandè expediet, an malit per ſe orare, an adiuuari ab eo, qui adeſt ipſi, imò licet dicat ſe orare, expedit aliquando (ſi dubitatur de aliqua illuſione vel tentatione) petere, quomodo ſe habeat, & quid mente reuoluat, vt probetur ſi rectè, vel dirigatur & iuuetur, ſi minus rectè aliquid in mente tractat.

Quid ſuggerẽdum ſit morienti ad meditationem.

Si autem (vt ferè ſolet accidere) ſuggerendum erit ægroto aliquid, quod meditetur vel oret: valde vtiliter ei poſſe ſuggeri videtur, aliquod dictũ Chriſti, quale iſtud eſt Matthæi. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: vel aliquod myſterium paſſionis Domini (præſertim quod ipſe cum ſpirituali guſtu meditari ſit ſolitus) & præcipuè Crucis, vt defigatur intellectus in iis tormẽtis, & morte amariſſima meditanda, quam filius Dei pro ipſius ſalute, tanta cum charitate paſſus eſt: & affectus excitetur ad dolorem ſuorum peccatorum, quæ ſic in Chriſto puni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

puniuntur, & ſimul ad ſpem veniæ, cùm profuſo ſanguine Agni immaculati ſe ablutum intelligit, & ad confidentiam beatitudinis conſequendæ, cùm Chriſtum repletum aſpicit doloribus, vt ſibi æternæ beatitudinis gaudia promereatur, & vt hæc & ſimilia recordetur, cùm ipſum myſterium proponitur, ſuggerendum eſt.

Si non videtur ſic diſpoſitus, vt vtiliter meditari poſſit per ſe, dicentem tamen intelligere, & ſequi etiam ore, vel corde poteſt, expedit, vt qui iuuat, crucifixi imaginem in manibus tenendo, vel præſentem oſtendendo (quod ad exercitationem multum confert) & oſculandam aliquando exhibendo, ſuggerat ægroto, quæ ad quadruplices actus, ſcilicet Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis, dicta ſun 2. 5. 6. & 7. capite: vel ſi breuius quid placet, vel variare libet, dicantur, præcipuè cum vicinior eſt tam tranſitus, quæ hic ſubdentur, id eſt ad contritionem, ad hunc modum intuere, chariſſime frater, quàm acerbos dolores & quàm ignominioſam mortem paſſus ſit Dominus IESVS Chriſtus propter peccata tua Diſplicere certè illa tibi debent plurimum, quæ

Quid agendū, cum non poterit meditari, ſed tamen intelligit adhuc. Ad contritionē quid proponendum, oſtenſo crucifixo.

Luc. 18. tam graui remedio indiguerunt, dicas ergo, Deus propitius eſto mihi peccatori: diſplicet mihi, quòd offenderim te: Deus meus, auge tu, quæſo, diſplicentiam hanc meam, & ſupple illam de doloribus tuis. Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſimilia.

Quid ad fidem. Ad fidem exercendam, dicat, Chariſſime recordare, quod Dominus Ieſus Chriſtus, cùm eſſet Patri conſubſtantialis, coæternus, & in beatitudine infinita coæqualis, propter te homo factus, hanc, quam vides paſſionem & mortem amariſſimam in humana natura aſſumpta ſuſtinuit, dicas ergo, Adoro te, Domine IESV Chriſte, qui per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum: adoro te Domine Ieſu, Deus meus & Redēptor meus, qui precioſa morte tua mundum viuificaſti, poſſet & addere proteſtationem fidei ad hunc modum. Proteſtor coram omni Eccleſia triumphante & militante, quod firmiter credo, viuo & morior in fide, quam ſancta mater Eccleſia Catholica & Apoſtolica profiteor: & ſi poteſt, dicat, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & ſic proſequatur totum Symbolum, vel ſaltem

tem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem ſequatur mente præeuntem Sacerdotem, qui illud dicet.

Ad ſpem excitandam & roborandam, magis adhuc excitandus eſt ad hunc modum : Intuere, chariſſime, imaginem Ieſu Chriſti, filij Dei, pro te crucifixi, quia non eſt aliud datum nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. *Quid ad ſpem.* *Actor. 4.*

Vide qualem erga te dilectionem habuerit filius Dei, qui tantis in tormentis mori voluit, vt per ipſum tu vitam æternam, & beatiſſimam conſequereris, eius enim liuore ſanati ſumus, eius inopia diuites facti, eius morte felices ſemper viuemus. *Eſai. 53.* *1. Cor. 2.*

Vide ſanguinem tam largè fluentem ex manibus, ex pedibus, ex capite, & toto corpore, & demum ex corde ipſius transfixo, minima gutta huius ſanguinis filij Dei ſufficiebat ad lauanda totius mundi peccata: confide ergò quòd tua lauabit.

Conſidera ſpineam coronam, doloris & irriſionis inſigne: flagella, quibus ſeruilem in modum fuit cæſus, alapas, & demum Crucis ſupplicium, non ſolùm doloris, ſed etiam ignominiæ plenum; hæc omnia paſſus eſt, vt deleret peccata no-

ſtra

ſtra, & ad honorem & gloriam regni ſui nos promoueret. Confide ergo, chariſſime, quod qui talia pro te tanto cum amore paſſus eſt, non te deſeret in hoc tempore tuæ neceſſitatis, & ſi Dæmon obijciet tibi quod multum peccaſti, dicas: Dominus meus, & Deus meus, pro delendis peccatis meis, crucifixus eſt, in quem credo, & in quo confido, ſedet enim ad dexteram Patris interpellans pro me, dum Patri, quæ pro me egit, & ſuſtinuit in humana natura, oſtendit, & adde.

Pſal.30. In te Domine ſperaui non confundar in æternum in juſtitia tua libera me, exur-*Pſal.67* gat Deus & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius: ſicut deficit fumus, deficiant, & ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & alia huiuſmodi.

Quid ad charitatem. Ad charitatis actus exercendos, dicat. Vide chariſſime, quibus ſignis oſtendit Dei filius, quanti te fecerit, & *Ioan.5.* quantum te dilexerit, maiorem charitatem nemo habet; quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: vt non ſo-*Eſai.2.* lum vitam Chriſtus pro te, ſed inter dolores & ignominias extremas poſuerit: vt hæc imago tibi præſentat, à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in

eo

eo ſanitas, & hæc patitur, vt te faciat ſibi ſocium in hæreditate regni cœleſtis. dic ergo: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? certè nihil dignum poſſum retribuere, ſed calicem mortis, pro eius amore libenter amplector, & laudare, & gratias habere, & agere in æternum deſidero. *Pſal. 115*

Hortetur, vt reſignet totum ſe in manus Dei, dicendo. In man⁹ tuas Domine, commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis: tu me creaſti Deus meus: tu me redemiſti, Pater ſanctiſſime, totus ſum tuus: fiat in me voluntas tua, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. *Commẽdetur ei reſignatio in manus Dei. Pſal. 30 Pſal. 12.*

Hortetur etiam, vt & B Mariam inuocet in auxiliatricem, dicendo: Maria mater gratiæ, mater miſericordię, tu nos ab hoſte protege, & in hora mortis ſuſcipe, & alia huiuſmodi. Inuocet etiam Sanctũ Michaëlem Archangelum & Angelum cuſtodem, & ſanctum ſuum patronum; & alios, in quibus habere deuotionem eſt ſolitus; & demum Sanctos omnes, vt intercedant pro ipſo. & adiuuent ſuis ſuffragijs & meritis. *Innocet Mariam & Angelos & Sanctos.*

Si intelligit, & poteſt attẽtus eſſe, (pręcipuè ſi mors diu ꝓtrahitur) legi poteſt. *Quæ legi poſſunt morienti ſi intelligit.*

Paſſio

Paſſio Domini, ſecundum aliquem ex Euangeliſtis, vel aliqua capita Beati Pauli; præcipuè ex 1. & 2. ad Corinthios, & ex Epiſtola ad Philippenſes, & 2. ad Tim. & ex duobus vltimis cap. Apoc. legendo quæ oportet, & reliqua omittendo & aliqui Pſalmi, vt, Qui habitat, Quã dilecta tabernacula tua. & ex pœnitentialibus aliqui, & Litaniæ. Nec deſerendus eſt, quàm diu mentis eſt compos, imò in extrema agonia, maiore, quàm vnquam charitate iuuandus eſt, quia Dæmon oppugnare quoſdam ſolet atrociter in eo tranſitu, vt Gregorius ait ſuper illud Luc 19. Circundabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabũt te vndiq;. Cum ſimplicioribus (quamuis etiam cũ alijs quibuslibet) iuuare poſſent hæc breuiora, quæ ſequuntur.

Quædã breuia, quæ ſimplicioribus congruunt, vel alijs etiam.

Vt ſcilicet poſtquam exhibuerit oſculandum Crucifixum, præeat ſacerdos, & ægrotus ſequatur ore & corde, vel ſaltem corde, dicendo ad hunc modum.

Pſal. 15.

Domine Ieſu Chriſte, credo, quod Deus meus & Redemptor meus es tu, quem imago hæc repræſentat, quicquid per Sanctam Eccleſiam Catholicam proponis credendum, fideliter, & firmiter credo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

do. & in ea fide proteſtor, me velle viuere, & mori.

Domine Ieſu, dolet mihi, quòd tantam bonitatẽ offenderim, & dolet, quòd ampliùs non doleo de offenſis, contra te Creatorem & reparatorem meum ingratiſſimè tam per commiſſionem quã per omiſſionem perpetratis: & humiliter peto mihi condonari per ſanguinem & vitam tuam, quam pro mea ſalute profudiſti, & firmiter propono ab eis abſtinere ſi vixero, & vitam meam emendare. Et ſi quid vel oblitus ſum, vel nõ cognoſco, quod offenderit Maieſtatem tuã, de eo illuminari cupio, & pœnitere, & conteri: & interim de omnibus veniam peto.

Omnibus, qui me offenderunt, ex corde meo, & libenter omnes offenſas propter te dimitto: & ſi quem ego offendi, precor etiam mihi veniam dari, & ſi aliquid alicuius eſt apud me, quantum teneor, & facultates meæ ſe extendunt, volo ſatisfieri omnibus, quibus ego debeo.

Spero in diuina tua miſericordia, & in hoc ſanguine, quem pro me effudiſti tanta cum chatitate, quòd me, licet in- *Pſal. 15.*
dignum, ſaluum facies, & adimplebis me lætitia cum vultu tuo, & vt id facias per ſan-

ſanctam paſſionem & mortem tuam deprecor.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: reſigno in eis voluntatem meam: & ſubijcio illam tuæ ſanctiſſimæ voluntati, vt de vita & morte mea facias ſecundum beneplacitum tuum: tantum vt ego toto te corde, & tota anima, & tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum.

Si tempus & perſonæ qualitas id ferret, plura etiam ex dictis 5 6 & 7. cap. adhiberi poſſunt. aduertatur autem, quòd ei qui in agone mortis verſatur, multum conferet, ſi deuotè roget Deum, vt acceptet omnes rationes, quas pro ipſo faciēt proximi eius, tam eo extremo tempore vitæ, quàm poſt mortem in remiſſionem pœnarum, quæ ipſi in purgatorio eſſent ſubeundæ. Idem de ſacrificijs Miſſarum & eleemoſynis intelligatur, & opportunè in memoriam morienti id redigatur.

De commendatione animæ, &c.

Quod ad tertium attinet, ſcilicet animę commendationem (& idem intellige de alijs, quæ fieri poſſunt ſine ipſo ægroto, vt in penultimo capitulo dicitur) hoc animaduertatur, quod tunc maximè debet fieri, cùm mors jam vicina immi-

net: & more Eccleſiæ conſueto fiat, intermiſcenda ſunt tamen aliqua verba (ſi adhuc putatur intelligere aliquid agonizans, licet non poſſit loqui) quale eſt, dicas chariſſime frater: Sit nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti benedictum, vel illud: Ieſu fili Dauid miſerere mei: vel illud: Deus in adiutorium meum intende, Domine Ieſu ad adiuuandum me feſtina, & aqua benedicta interdũ eſt aſpergendus, præcipuè ſi viſionibus videtur perturbari; & dicatur, vt corde, & ſi poteſt ore, inuocet nomen Ieſu, & poterit deinde proſequi commendationem animæ. *Marc. 15. Pſal. 6.*

De quarto, ſcilicet Aſſiſtentium ædificatione, videatur capitulum vltimum.

Qua ratione ſit iuuandus, qui ex vitæ nimio deſiderio, non ſatis æquo animo moritur, aut acquieſcit diuinæ voluntati.

CAPVT IX.

ALIQVI ſunt, quos concutit, & affligit plus æquo, mortis timor: partim ꝙ vitam hanc naturaliter diligunt: partim ꝙ eis, quę in mundo relinquuntur, affectu nimio adhærent, &

poteſt etiam hoc longioris vitæ deſiderium eò vſque peruenire, vt non æquo animo ferāt, aut acquieſcant diuinæ voluntati, & ſic dum inuiti moriuntur, tria incommoda magna ſubeunt: vnum eſt quòd eò magis eos torquet ipſa mors quò magis voluntati propriæ repugnat, juxta illud Sapientis: O mors quàm amara eſt memoria tua homini, pacem habenti in ſubſtantijs ſuis! Secundum, quòd eo ſe priuant merito ſingulari, ꝙ voluntaria morte, id eſt, cum conformitate ad voluntatem Dei, accepta, habituri erant; imò addunt offenſam, ſi deliberatè repugnant ſua voluntate, voluntati Dei. Tertium, quòd ſe non bene diſponunt ad vitam, quæ eſt ſine fine iamiam ſequutura, dum nimis de temporali hac morte trepidant, & de pertinentibus ad eam tractare perhorreſcunt. Sunt qui nolint huiuſmodi hominibus ſuum ſignificari periculum, ne contriſtentur; alij etiam vitæ diuturnioris ſpem dare ſolent, ſed profectò nullo modo expedit certam mortem ſecundum Medicorum ſententiam, vel ſaltem graue periculum eius, celare: quia ſic fit, vt non ſe præparent ſicut oporteret in ijs quæ ad propriam animam, nec etiam interdum in ijs,

Incommoda eorum, qui inuiti moriuntur, Eccl. 41.

Non expedit celare infirmos graue periculum mortis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ijs, quæ ad coniunctos & alios pertinent. expedit ergo magis, prudenti aliquo & ſuaui, quantum fieri poteſt) modo vel mortem imminentem, vel eius graue periculum eis ſignificare, atque animare, vt fortiter ſe gerant, & prudenter ſe ad moriendum præparent, ſi enim Deus vitam prolongare voluerit, nihil nocebit ſe præparaſſe; quod tamen omnino eſt neceſſarium, ſi mors (vt timendum eſt) breui ſuccedat ſi ergo vitæ nimius amor acerbam facit mortem, juuandus eſt primò orationibus, ſecundò exemplis, & auctoritatibus, tertiò rationibus, vt ad moderationem ille reducatur.

Prima ratio eſt, quòd ſecundum Apoſt. dictum. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt primorum parentũ lapſum, & hac lege nati ſumus, tam magnates, quã plebei, vt moreremur, iam inde à principio, vſque ad finem mundi. Vnde Dauid, Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortẽ? & 2 Reg. 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reuertuntur. Itaque ſi modò mortem euaderet, tamen breui omnino moriendum eſſet, & tributum hoc mortis perſoluendũ & fortè non tam bonam poſtea ſe diſponendi commo-

Heb. 4.

Vitæ nimius amor reprimitur rationib⁹.

Pſal. 21.

commoditatem haberet cùm tota vita præſens ad id data ſit, vt per eam quaſi peregrinantes, ad veram vitam, & æternam, in cœleſti patria perueniamus.

Secunda, conſolari nos in morte debet amor Patris noſtri æterni erga nos, & ſuauis eius prouidentia de qua ſperare oportet, quòd eo tempore nos vocat, cùm magis nobis expedit. Vnde illud S. Chryſoſtomi quòd boni tunc decedunt ex hac vita, cùm meliores ſunt: mali, cũ minùs mali, quam futuri eſſent, ſi adhuc viuerent, ideo cùm ipſi placuerit id facere, æquo animo mors eſt ſubeunda, & conuertendo ſermonem, ſi videtur, ad ægrotum dici poterit: Chariſſime N. bono animo eſto, amat te Deus, vt opus manuum ſuarum, ad ſui imaginem factum, vt filium, quẽ adoptauit in Chriſto: non te deſeret, neque derelinquet, nec niſi ſuo tempore, vitam tuam abſcindet, quòd ſi modò te vocat, tibi perſuade, quòd id ipſum tibi expediat.

Tertia. Quòd fidelibus, qui in Domino moriuntur mors nõ eſt propriè mors, ſed tranſitus ad meliorem vitam. Vnde
Eccl. 7. in Eccleſ. dicitur. Melior eſt dies mortis die natiuitatis: cùm dies, quo naſcimur, porta ſit ad mortem: is, quo morimur, por-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

porta ſit ad vitam perpetuam. Idem Sa- *Eccl. 4.*
lomon. Laudaui magis mortuos, quàm *Pſal. 15.*
viuentes. & Pſal. Precioſa in conſpectu
Domini mors Sanctorum eius, & ex-
preſſiùs Chriſtus: Qui verbum meum
audit, & credit ei qui miſit me, habet vi- *Ioan 5.*
tam æternam, & in judicium non venit,
ſed tranſit à morte in vitam, quis ergo
fidelis eam mortem perhorreſcere de-
beat quæ ad vitam veram via eſt?

Quarta. Præſentis vitæ miſerias ab
ineunte ætate conſidera, & forte diem
vnum ab alijs vacuum non inuenies. In
exilio enim & in valle lachrymarum à
Deo poſiti ſumus, vt nos præparemus
per pœnitentiam ad veram vitam, quæ
æterna & tota felix eſt, non ergo debe-
mus iniquo animo ferre, quod ab exilio
in patriam reuocemur, abſit autem, vt
ſimus huius mundi ciues, ſed potiùs di-
camus cum Apoſt. Non habemus hîc ci- *Heb. 13.*
uitatem permanentem, ſed futuram in-
quirimus. Non ægrè feramus igitur,
quòd à loco pœnitentiæ & lachryma-
rum, ad locum vbi lætitia erit ſempiter-
na ſuper capita eorum, juxta Eſaiam,
traducimur.

Quin-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quinta, Si bene Tobias dicit, filij ſan-
Eſai. 15. ctorum (id eſt fidelium) ſumus, & vitam
Tob. 2. illam expectamus, quam Deus daturus
eſt ijs, qui fidem ſuam nunquam mutant
ab eo: & tamen tunc temporis fideles nõ
ad cœlum, ſed ad limbum poſt mortem
ibant: quantò magis nos mortem time-
re non debemus, cùm aperta jam ſit per
Chriſtum cœli porta, id eſt, beatitudo,
quæ in Dei viſione conſiſtit? vnde po-
tius ſpernenda eſt mors, vt veræ vitæ ini-
tiũ, quàm timenda. vt huius vitæ termi-
Mat. 22 nus; non enim eſt Deus mortuorum, ſed
Col. 3. viuentium, quoniam omnes viuunt ei,
dicit Chriſtus. Ideo & Apoſt. Si conſur-
rexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt,
quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei
ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ
ſuper terram, & addit, Mortui enim eſtis
(ſcilicet in hac vita) & vita veſtra abſcõ-
dita eſt cum Chriſto in Deo: cùm Chri-
ſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos
apparebtis cum ipſo in gloria.

Sexta, Quamdiu hic viuimus, militia
eſt vita hominis ſuper terrã finis militiæ
pax, & ita finis vitæ fidelium requies. Sic
Apoc. 1. in Apoc. dicitur de mortuis: Beati mor-
tui qui in Domino moriuntur: amodò
Sap. 4. enim dicit Spirit⁹, vt requieſcant à labo-

boribus ſuis, & Sapiens, Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap. 4.*

Libenter ergo chariſſime, iacta cogitatum tuum in Dominum, & admitte cum actione gratiarum mortem, quandocunque à Deo immiſſa fuerit, licet enim ſit neceſſarium, vt eam ſubeas, ſi tamen id reddas voluntariũ, de neceſſitate virtutem faciendo & vitam tuam offeres ad Dei beneplacitum, acceptabit eam Deus, vt ſacrificium gratiſſimum, & ad inſignem ſatisfactionem pro tuis peccatis, & meritum, & præmium tuum. *Pſal. 24*

Nimius timor mortis reprimitur, exemplis & auctoritatibus.

Secundus modus iuuandi timidos, eſt per exempla & auctoritatem, vt Chriſti Domini, qui cum naturalem voluntatem partis inferioris explicaſſet, dicendo. Tranſeat à me calix iſte: voluntate ſuperiore, quæ rationem ſequitur, dixit, verum tamen non mea, ſed tua volutas fiat, ſic & tu chariſſime frater, licet ſentias horrorem mortis, ſecundum affectum naturæ, conforma voluntatem ſuperiorem cum voluntate Dei, & accepta æquo animo quod illi placet qui vitam hanc dedit, ſuo arbitrio finiendam, & aliam meliorem vitam & perpetuam donare paratus eſt. *Matt. 6.*

Dauid memor illius quæ verè vita eſt, *Pſa. 119.*

& præſentis miſerias & pericula pertæſus dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: quaſi longum illi videretur tempus exilij.

Rom. 7. Beatus Paulus dicebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius; & ex deſiderio viuendi in terra

Philip. 1 viuentium, dicebat, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & iterum, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: quod ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto, multò magis melius; permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.

Eccleſ. 30. S. Praxedis rogauit Deum vt ſe ab hac vita liberaret, ne tot mala videret, & exaudita eſt.

Eccleſ. 41. Sapiens in Eccleſ. dicit: Melior eſt mors, quàm vita amara. Idem, Noli metuere iudicium mortis, memento, quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuētura ſunt tibi: hoc iudiciū à Domino, omni carni.

Cùm Hilarion à latronibus ſtrictis gladiis peteretur, ſine metu quietus māſit, & cùm minarentur illi & interrogarēt, quare mortē nō timeret, reſpondit, non eſſe quòd mortem timeret, qui ad eam eſſet paratus.

S. Cy-

S. Cyprianus in ſerm. de mortalitate, Quis, inquit, anxius eſt de egreſſu ab hac vita, niſi qui in fide dubius eſt, & ſpe vacuus? illius eſt mortem timere, qui non vult Chriſti ſocietatem, & eius eſt talem recuſare ſocietatem qui nõ credit, quod debeat regnare cum Chriſto.

Sed prorſus immemorabiles ſunt, qui lætiſſimo animo mortẽ ſubeũt, vt malorũ, culpę & miſeriarũ finẽ, & vt felicis vitę, ad quã omnes aſpirare debem⁹ initiũ.

Tertius modus eſt, per orationes iaculatorias. Dicat ergo qui iuuat morientes aliquas breues orationes: & nitatur præeuntem ſequi ægrotus, quales hæ ſunt.

Domine Deus meus, naturalis quidem meus appetitus mortem exhorreſcit, cõtentus ſunt tamen, ſi tibi ſic placet, mortem ſubire, & hanc ipſam mortem, & eius afflictionem offero ad honorem & beneplacitum tuum, cum paſſione & morte Domini mei Ieſu Chriſti, & in meorum peccatorum ſatisfactionem. *Mortis timor per orationes repellitur.*

Deus meus, tu de nihilo creaſti me, & vſque in hunc diem ſuſtentaſti, & rationis vſu dotaſti me, & per miſericordiam tuam in fide Catholica, & in ſanctę matris Eccleſiæ gremio & vnitate, con-

ſeruaſti me, & per vitam quæ ducit ad æ-
ternæ felicitatis finẽ deduxiſti me, quid
ergo retribuam tibi pro omnibus quæ
Pſa. 115. retribuiſti mihi? Domine calicem hunc
mortis de manu tua libenter accepto, &
offero illum tibi, & vt dignanter admit-
tas in odorem ſuauitatis, deprecor.

Deus meus, quamuis naturalis vitæ
amor mortem recuſet cum fiducia tamẽ
Mat. 26 auxilij tui dicam cum Domino meo Ie-
ſu Chriſto. Pater mi, ſi non poteſt calix
hic tranſire, niſi bibam illum, fiat volun-
Pſal. 4. tas tua. Dicam etiam cum Dauide: In
pace in idipſum dormiam, & requieſ-
cam, quoniam tu Domine ſingulariter
in ſpe conſtituiſti me.

Pater miſericordiarum, & Deus totius
conſolationis gratias ago tibi, quod ve-
nit tandem hora, in qua peccata & mala
mea finem habebunt: & quod mihi tem-
pus dediſti, quo me præparem ad tranſi-
tum ex hac vita ad perpetuam. Tu ergo,
qui adiutores in opportunitatibus, in
tribulatione, adiuua infirmitatem me-
am, vt in tuo ſeruitio, & gratia, quòd ſu-
pereſt vitæ meæ, finiam.

Dici etiam poteſt cum Iob, Scio quòd
Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo
die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus
cir-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, &c. adde alia id genus, ſi oportet; & hæc declarari magis poſſent.

Quomodo procedendum cum eo, qui ex affectu ad terrena, vel alias ob cauſas timet mortem plus quàm oportet,

CAPUT X.

ALiqui dolent de morte, non tam ex vitæ deſiderio, quàm quòd res ſuæ conſcientiæ implicatas habent, & tam breui tempore eas ſe poſſe explicare diffidunt. De his, ſi verè tempus non ſuppetit ad omnia, quæ fieri deberent infra dicetur, quid agendum; quòd ſi non deeſt tempus, dummodo eo ægrotus diligenter vti velit, eum exhortari oportet, vt primo quoq; tempore id faciat, quod poteſt: & ratio & ordo ei proponi debet, vt ſcilicet primò confiteatur, & cõmunicet, & petat extremam vnctionem (licet non ſtatim ei detur) deinde ſi quid ſtatim reſtituere, vel facere debet & poteſt, curet fieri, & teſtamentum condat, in quo etiam teſtamento ſuppleat ea, quæ ſtatim non poſſunt fieri, & demum ſe præparet ad tranſitum: & breue tem-

pus vbi à Domino datum, ad ſatisfactionem pro peccatis, & meritum beatitudinis, elabi de manibus ſine fructu, non ſinat.

Quid agendum cum inuit⁹ moritur, quia vitam emendare quis vellet.

Quod ſi dolet mori, quòd vitam emẽdare, & multa bona facere, in animo cõſtituerat; ſuadendũ eſt ei, vt voluntatem ſuam cum diuina conformet & omnium rerum loco, quas facere cupiebat ad Dei honorem & ſuam perfectionem, offerat Deo in ſacrificium vitam ſuam cum voluntate eius beneplaciti in omnibus implendi: nihil enim Deo gratius, nec maius homines offerre poſſunt: & in eo, quod ſupereſt, vitæ, nihil omittat eorum, quæ præſtare poteſt tam in eleẽmoſynis, ſi facultatem habet, quàm in deuota ſacramentorum ſuſceptione teſtamenti conditione, & aliis, quæ ſuperius dicta ſunt, ad morientem bene diſponendum eſſe oportuna

Quid cū dolet ex affectu ad terrena.

Aliqui timent mortem, & de eius imminentis aduentu dolent, quia rebus terrenis affectu magno adhærẽt, ſcilicet dignitatibus, diuitiis, & voluptatibus, vel perſonis quas relinquunt, ſibi chariſſimis, vt vxori, filiis, & amicis, vel ſanguine coniunctis, & maiorem habet occaſionem is qui tentat, ad tegendum a-

morem

morem terrenum, dum obtẽdit pallium pietatis vt cùm paruulos liberos; vel filias non collocatas, vel in paupertate conſtitutam familiam relinquit, & id tunc agit Dæmon, vt dum affectibus, & curis inutiliter tempus impenditur, & animus diſtrahitur, quæ ad ſalutem æternã ipſius neceſſaria ſunt, minus prouideat, & exequatur Qui ergo ad huiuſmodi homines iuuandos vocatur, & talem in ægrotis affectum deprehendit, vel aliorum relatu cognoſcit, præter aliorum orationes, & eleëmoſynas, quas pro talibus curare debet (ſi ſint qui eas facere poſſint) quatuor mediis ægrotos hos iuuabit.

Remoueantur à præſentia morientis, qui affectus terrenos nutriũt.

Primò, remonendo ab ægrotante quæ poſſunt inordinatum hunc affectũ nutrire, quoad eius fieri poterit: qualis eſt aſpectus perſonarum, quas humano amore diligit puta coniugis, filiorum, & ſi quæ alia huiuſmodi ſunt: & colloquia de illis, etiam abſentibus (niſi quatenus ad proſpiciendum eis, mentio illorum eſſet neceſſaria) expedit vitari.

Rationes ad terrenũ affectũ temperandum

Secundò, rationibus affectus hic eſt temperandus. Prima eſt, quia is non ſolum affligit ſine fructu, ſed noxius admodum eſt, cùm impediat bonam præ-

paratiónem ad mortem. Sic ergo dici ægrotanti poteſt, Chariſſime N. hic amor, imò & memoria huiuſmodi rerum vel perſonarum, nihil vtilitatis vel tibi, vel illis adfert, imò te affligit, & impedit, ne te præpares ad bona maiora, & veriora, quàm quæ relinquis percipienda. Nam hæc imperfecta ſunt, & ad breue temp⁹: illa, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, magna & æterna. Proinde memoriam, ac affectum harum rerum, vel perſonarum repelle, & cogita de iis quæ ad æterna mala effugienda, & æterna bona conſequenda te iuuare poſſunt.

Secunda, quod attinet ad perſonas quæ deſeri à te videntur, intellige, quod ſi te (vt ſperare debes, dummodò te bene praeparares) diuina bonitas ad beatitudinem adducet, ibi plus auxilij tuis à Deo impetrabis, quàm hic præſens adferre poſſes.

Rom. 5. Tertia, intellige, quod ſecundum Apoſtolum, ſpes non confundit, ſi iuſta, & conuenientia ſperantur, & in fide nihil hæſitando petuntur, ſpera ergo & pete
Pſal. 59. ab infinita Dei bonitate, vt tuis, prout eis conuenit, tanquam tutor proſpiciat, & iacta cogitatum tuũ, tam de te, quàm de tuis in Dominum, & ipſe tuos enu-

triet,

triet, vt ipſis ad bonum æternum vtile eſt, & imitare Chriſtum, qui imminente morte, poſt cœnam ſuos diſcipulos Deo commendat, & tantum de ſalute tua æterna ſis ſolicitus. *Ioan. 15*

Quarta. Scias, quòd tu non tam Pater es filiorum tuorum, quam DEVS, qui *Mat. 10.* paternam de omnibus prouidentiã gerit; nec cadit paſſer ſuper terrã ſine ipſo, ne ergo exiſtimes ꝙ ſi eos tu relinquas, Deus eos relinquet: quia diligit Deus omnia quæ fecit. Proijce ergo ſecundum *1. Pet. 5.* cõſilium Apoſtoli, omnem ſolicitudinẽ tuorum in Dominum, quoniam ipſi cura eſt de illis: & ſi in Deo ſperaueris, & omnino ei reliqueris curam hanc, multò magis tuos iuueris tali fiducia, quam ſi de eis fruſtra ſolicitus modo eris.

Quinta. Chariſſime, ſarcina iter longum facientibus impedimentum eſſe ſolet: longa tibi iam via facienda eſt, vſque ad Deum, ante cuius tribunal breui ſtabis, proinde deponenda eſt omnis ſarcina curarum ſuperfluarum, & affectus terrenorum, qui tibi peccatorum multorum cauſa fuit: & ſi modo non eam relinquas, à Deo ſummo bono ſeparare te poſſet in æternum. Expedi ergo cor tuũ ab hoc inutili onere, vt eleuari poſ-

ſit affectus tuus ad æterna bona deſideranda.

Sexta. Tam vitam tuam, quàm bona omnia huius mundi, non tua, ſed mutuò data fuiſſe à Deo intellige, vt illis, tanquam mediis vtereris ad melius ipſum cognoſcendum & amandum, & ei ſeruiendum. Si ergo Deus à te illa remouet, nullam tibi facit iniuriam, & ſi te hic diſponis, vt ad vltimum finem, ſcilicet beatitudinem peruenias, nihil eſt quod media ad illum conſequendum donata, amplius deſideres, potiùs quādiu viuis, quidquid poteſt manus tua inſtanter operare, & de bonis tuis diſpone quam optimè, vt eorum fructu diteris in æternum. *Eccle. 6.*

Exempla ad terrenos affectus mitigandos.

Septima via, eſt exemplorum. Sic ergo dici poteſt: Chriſtus Dominus in cruce mortuus eſt; imitare tu libenter eius nuditatem, omnes affectus ad terrena exuendo, à Iob Dominus Deus omnia abſtulit, præter vxorem, quæ illum affligeret: at ille dixit, nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar ad illam: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum, ſic & tu dicas, &c. *Iob. 1.*

Sancta Martha, tempore mortis iuſſit

ſe

ſe ſub dio, in terra, & ſuper cinerem collocari, & iuxta crucem poni, & ex Euangelio paſſionem legi, hunc affectum, à terrenis animam abſtrahendi, imitare.

Sanctus Martinus Epiſcopus ſuper cinere, dum moreretur, iacere voluit, & ſic decere Chriſtianos aiebat: & cùm dicerent eius filij ſpirituales, cur nos deſeris Pater? &c. dixit ille. Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborē, ſcilicet vitæ. Tu ergo Martinum imitare, potius cœleſtem, quàm terrenam vitam amando, vt vita ſit tibi in patientia, (ſi Domino ſic placuerit, vt tuos adiuues) mors in deſiderio.

Sanctus Franciſcus, vt moreretur nudus, in terram ſe conſtitui fecit.

Sanctus Ludouicus Rex Franciæ idē fecit, & quidē ſuper cinerem, & ſic extenſis in modum crucis brachiis, mortuus eſt.

Octauo via eſt orationum, quas præeat qui iuuat morientē, & ille ſequatur. Dicat ergo, Libera me Domine à tribulis, & ſpinis cogitationum & affectuum terrenorū, quę animam meam pungunt, & inquietant, & ſalutares cogitationes, & cœleſtium deſideria imprime cordi meo. Quàm delicta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & de-

Per orationes affectus terrenorum reprimitur. Pſal. 38.

& deficit anima mea in atria Domini: elegi abiectus eſſe in domo tua Domine magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum, quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia, & quędam ex his, quæ ſupradicta ſunt, vel alia de beatitudine hic dici poſſent, prout ægrotantis habitudo, & captus exigere videbitur: vt illud, Inebriabuntur ab vbertate domus
Pſal. 35. tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Eſt tamen animaduertendum, quòd ſi aliquid poteſt fieri ab ægrotante ad prouidendum ſuis, per teſtamentum, vel aliis ſuos commendando, vel aliter, id non eſt committendum.

Quid cum impatientibus agendum ſit.

CAPVT XI.

Accidit aliquando, vt impatientes ſint ægroti, propter dolorem, vel moleſtiam morbi, præcipuè, ſi propter paupertatem, vel aliam cauſam, deſint remedia oportuna, vel alia ſuperueniant aduerſa. Sunt ergò in ea parte quatuor modis iuuandi. Primus eſt, compati ægroto ex animo, & præ ſe ferre compaſſionem, & ſi etiam poſſet, opere ipſo curare, vt ſubleuetur, id

Compaſſio oſtẽdenda in offe-ſibus.

enim

enim præterquàm quòd minuit impatientiæ cauſam, cùm faciat ab ægroto cognoſci charitatem iuuantis, & ſponte eum, vt libentius audiat, & facilius acquieſcat omnibus, quæ ab ipſo proponuntur.

Rationes contra impatientiam.

Secundus modus eſt per rationes. Prima eſt, quòd impatientia non ſubleuat ſed potius auget malum ipſum propter quod habetur & quidem tantò magis id dolet, quantò magis contra voluntatem ſuam quis patitur. Tollit præterea meritum patientiæ, quod eſt maximus. Cur ergo non facit, qui patitur de neceſſitate virtutem, ſecundum conſilium Chryſoſtomi, vt patiatur cũ merito illud ipſum, quod nihilominus ſine merito paſſurus eſt? imò & minus patietur, quia dum voluntariè amplectitur, imminuit malum ſuum. Tribulatio enim fugientes acrius perſequitur & affligit, ſponte propter Deum eam ſuſcipientes multò minus.

Secunda, quòd hæc mala mittit ad ipſum Deus, qui Pater eſt amantiſſimus, & medicus ſapientiſſimus, & mittit ad ipſius bonum; vnde debet, & medicinam amaram & tamen perutilem, de manu ipſius, bono animo recipere, & gratias agere

agere. Vnde Salomon. Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, ne fatigeris, dum ab illo argueris: quem enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem
Prou. 3. omnem filium, quem recipit. Quòd ſi
Heb. 12. cum actione gratiarum flagellum exceperit, erit illi ad maximi meriti coronã.

Tertia, quia cùm Deus juſtiſſimus ſit, non relinquit peccata ſine punitione, vel in hoc mundo, vel in alio: eſt autem multo melius hic purgari peccata per tribulationem, vel afflictionem, quæ leuior, & breuior multo eſt, quã in purgatorio. Vnius enim horæ dolor in hac vita, patienter, & voluntariè toleratus, velut lima quædam, rubiginem peccati magis tollit, quam dies multi & forſitan menſes, & anni & quidẽ in acerbiſſimis tormentis in purgatorio. Dicatur ergo ægrotanti, & impatienti, vt cogitet, quod in vita ſua non parua peccata admiſit, propter quæ pœnam eſt commeritus. vnde huius infirmitatis, & mortis (ſi Deo ita placuerit) afflictionem patienter tolerare debet, & Deum rogare, vt eam in remiſſionem peccatorum admittat, & purgatorij cruciatum in eam commutare dignetur.

Quod ſi fecerit voluntariam pœnam alioqui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

loqui neceſſariam, modo prædicto, cum contrito corde, & in Deo confidere, & culpæ, & pœnæ remiſſionem magnam obtinebit.

Quarta, quia mittuntur huiuſmodi afflictiones, vt ab amore rerum huius mundi magis hominum affectus auel- *Pſal. 69* lantur, & ad bona æterna conuertantur; & ideo Deus ſolet eſſe cum afflictis, & ad ſumma bona eos promouere. Vnde illud Pſalmiſtæ: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Quinta, aliquando mittuntur, afflictiones, vt virtus patientiæ, humilitatis, fidei, & ſpei probetur, & creſcat cum ea meritum. Vnde Eccleſiaſticus: Omne, *Ec. l. 2.* quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptiles in camino humiliationis: &, vt in hymno quodam Eccleſia canit. illuc (id eſt, ad cœlum) introducitur omnis, qui ob Chriſti nomen hic in mundo premitur: tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides ſuis coaptantur locis, per manus artificis: diſponuntur permanſuri ſacris ædificijs.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bono ergo animo ferenda ſunt, quæ nos expoliunt, vt cœleſtis Hieruſalem viui lapides efficiamur.

Exempla contra impatientiam.

Tertius modus, eſt per exempla, vt Iob, Tobiæ, Ioſeph, Dauid, virginis Mariæ, & tot Martyrum, & ſuper omnia exemplum Chriſti crucifixi plurimùm ad patientiam valet, & vt ei aliquo modo vicem reddamus, patienter hanc partem crucis, quæ nobis communicatur à diuina prouidentia, ſubire nos decet.

Orationis via contra impatientiam.

Quartus modus eſt, per viam orationis, quam, præeunte eo qui iuuat, dicat ægrotus: vel ſaltem corde, ſi non poteſt ore, dicentem ſequatur, huiuſmodi ſunt, quæ ſubduntur, & aliæ ſimiles.

Domine hîc vre, hîc ſeca, id eſt, in hac vita, vt ſaltem in æternum parcas, vt ait Auguſtinus.

Domine Deus meus, qui quos diligis caſtigas, ſim ego quæſo, de numero filiorum, quos diligis in vitam æternam, quandoquidem ſum ex illis, quos caſtigare dignaris.

Domine Ieſu, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, adſis jam mihi in afflictione mea, & adiuua me, vel ſubleuando afflictionem, vel vt tibi grata

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit, veram patientiam tribuendo, vt cedat illa in honorem tuum, & bonum meum.

Gratias ago tibi Pater amantiſſime, qui non minori miſericordia caſtigas, quàm conſolaris; propitius quæſo mihi eſto, & virtutem ad bene ferendum ea, quæ me vis ferre, tribue. Sic aliæ orationes fieri poſſunt.

Quid agendum cum his, qui fidei tentationibus moleſtius agitantur.

CAPVT XII.

IN ijs, quæ ad fidem pertinent, dupliciter homines indigere auxilio ſolent. Primò cùm non explicitè credunt quæ in tempore legis gratiæ explicitè credi oportet: & quid agendum cũ talibus, c. 1. dicitur. Secundò, cùm à Dæmone concutitur fides (quæ totius ædificij ſpiritualis, & rerum ſperandarum eſt fundamentum) per varias tentationes, quibus ille in dubium adducere infirmũ de tota fide, vel de aliquo eius articulo nititur. Si ergo moleſtę ſunt ægroto tentationes huiuſmodi, admonendus eſt, vt nullo modo diſputet, vel rationib⁹ agat

Non diſputãdũ eſt cum Dæmone.

cum

cum Dæmone, qui nihil aliud molitur quàm in eo, quod videt eſſe velut baſim æternæ ipſius ſalutis, ſubuertere: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo & dicat cum Pſalmiſta, Domine, illumina oculos meos (ſcilicet lumine veræ fidei) ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum: & cum Ezechia; Domine, vim patior, reſponde pro me; & cum Apoſtolis Domine, adauge nobis fidem. Iuuat etiam aliqua ex ſupradictis modis capite 5. dicere, Credo in Deum, &c. ſed in primis juuat, vnicam ſolutionem omnibus argumentis Dæmonis dare, & ei quantumuis multa repræſentanti dicere: Credo quidquid credit Sancta mater Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, cuius caput vnicum ſub Chriſto, eſt Pontifex Romanus. Illa eſt columna, & firmamētum veritatis: illa tibi Sathan, pro me reſpondebit: diſputa cum illa, ſi voles: mihi ſatis eſt, quod credo quidquid illa credit; cuius fides non rationibus innititur, ſed ipſi æternæ veritati. In hac arce fidei vt inexpugnabili, tutus erit ab huiuſmodi Dæmonis, quantumuis importunis oppugnationibus, qui in ago-

Heb. 11. *Pſal. 12.* *Eſa. 38.* *Luc. 17.*

Vnica ſolutio cōtra omnia argumenta Dæmonis.

ne mortis poſitus eſt, & ita curet intellectum ab ijs ſuggeſtionibus, quæ perturbant ipſum, diuertere: & alia meliora cogitet quæ ad ſpem, amorem vel contritionem augendam pertinent, vel cum aſſiſtentibus loquatur de alijs rebus.

Proteſtatio fidei.

Iuuat & proteſtationem ſuæ fidei facere dicendo ſymbolum, & poſtea addendo. Proteſtor coram Deo, & vniuerſa eius curia cœleſti; & nominatim coram Angelo meo cuſtode, & coram vobis, quod in hac fide, ſecundum modum intelligendi Sanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ, & in vnione corporis eius ſub capite Domino noſtro Ieſu Chriſto & eius in terris Vicario, viuere & mori volo: & ſi per delirium aliquod verbum ab ore meo excideret, quod aliter ſonaret, proteſtor quòd illud non eſt meum, ſed hoc tantum, quod proteſtatus ſum.

Quando orationes habere locum poſſent, & quales.

Si talis videretur eſſe diſpoſitio ægroti, qui de fide tentatur, non tamen in ipſa mortis agonia verſatur, & ſenſibus integris eſt: vt ad eius conſolationem, & ſtabilitatem aliquæ rationes fidei eſſent adducendæ: generales illæ ſint, & non ad particulares eſſet deſcenden-

dum

dũ (niſi fortè ipſe diceret aliquid, quod ipſum mouet, & facilè & clarè confutari poſſet; & tunc etiam eſt admonendus, ne diſputet cum Dæmone, niſi vt ſuprà dictum eſt, obijciendo Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem (& ſic infirmo dici poteſt; Fides noſtra chariſſime, quæ participatio quædam eſt diuinæ ſapientiæ, & lumen infuſum ab ipſa prima, & ſumma veritate, non innititur tam debili fundamento, quàm ſunt rationes, quæ à perexiguo lumine naturali procedunt: nec propter rationes vlla credit, ſed propter auctoritatem Dei, qui Eccleſiæ ſuæ omnes fidei articulos reuelauit.

Ab exemplis credentium. Securè credis ea, quæ tot ſancti homines, & in virtutibus heroicis inſignes crediderunt: quales ſunt Martyres Chriſti, & Anachoretæ, & viri religioſi, qui vel vita ſua ad id impenſa, veritatem hanc teſtati ſunt; vel diuturnam corporis ſui mortificationem circumferentes, diuinamque in terris vitam agentes, eidem teſtimonium perhibuerunt. Securè credis, quod tam ſancti Doctores Eccleſiæ, admirabili doctrina præditi, tot prudentiſſimi Pontifices, & Sacerdotes, verbo, & ſcripto & facto docuerunt.

Securè

Secure credis etiam, quod tot Concilia generalia, ſtudio veritatis agnoſcendæ ex toto orbe congregata, quæ decipi nullo modo poſſunt, ſpiritu veritatis eis aſſiſtente, tradiderunt: quod tot millia fidelium, tot ſeculis, inter tam multas perſecutiones crediderunt, & ad nos tranſmiſerunt? inter quos & noſtri maiores & patria ipſa fuit.

Secure credis Patri æterno, qui teſtimonium perhibuit de Chriſto, dicendo, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite etiam Euangelica doctrina vbiq; prædicata eſt ab Apoſtolis, ipſo Deo coöperante, & ſermonem confirmante, ſequẽtibus ſignis. *A teſtimonijs, Dei Angelorũ, & Sanctorum. Matt.17 Matt.16*

Secure credis teſtimonio Chriſti Domini qui æterna patris ſapientia eſt, & dixit Ego & Pater vnum ſumus: & articulos fidei prædicari juſſit, addens. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. *Ioan.16 Marc.16*

Item Gabrieli Archangelo, dicenti de Chriſto, quòd Filius Altiſſimi vocabitur, & militiæ cœleſtium ſpirituum, quæ cecinit in Chriſti natiuitate, Gloria in excelſis Deo: & Angelis, qui Reſur- *Luc.1. Luc.82. Matt.28 Ioan.20 Act.1.*

ſurrectionis eius, & Aſcenſionis, & Ad-
uentus, quo venturus eſt in fine mundi ad omnes homines judicandos, teſtes extiterunt.

Teſtimonijs item Patriarcharum, & Prophetarum ac ſcriptorum veteris teſtamenti, vſque ad Ioannem; qui factis, & verbis, Chriſti fidem, & myſteria præfigurauerunt, & prædixerunt. Item Apoſtolorum, ac diſcipulorum Domini, & ſuccedentium ipſis, qui ſcripta noui Teſtamenti, & traditiones, per manus ad nos vſque, nunquam interrupta ſucceſ-
Ioan. 11. ſione, deduxerunt. Imò, & aduerſariorũ teſtimonia idem teſtantur: dicebãt enim impij Iudæi. Hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, &c. Vnde Ioſephus & alij infideles benè ſentiunt de Chriſto & de eius doctrina: & dicunt, nos in ea ſalutem cõſequi; & præferunt noſtram religionem omnibus, præter quàm ſuæ: in quo non debet eis credi.

A miraculis. Secure credis, conſiderando tot miracula quæ ſunt ſupernaturalia quædam teſtimonia, quib⁹ veritatem fidei noſtræ teſtatam reliquit Deus. Fuerunt autem ea innumerabilia, vt ex euangelijs, & actibus Apoſtolorum, & hiſtorijs con-

ſtat.

ſtat: ſed & noſtris temporibus ea etiam cernuntur, vt in terris infidelium, cùm Deus eos ad fidem adducere & confirmare neophytos dignatur.

Supernaturale etiam teſtimonium eſt veritatis fidei, conſtantia, & fortitudo & ſapientia Apoſtolorum, & Diſcipulorum, ac multorum, qui eis ſucceſſerunt: qui cùm eſſent pauci, rudes, ignobiles, ſine eloquentia, vel potentia armorum, imò ferentes verbera, irriſiones, egeſtatem, & mortes acerbiſſimas, Romanum imperium, & Regna, ac Prouincias ſub jugum fidei miſerunt. Quæ ſi per diuinam virtutem operabantur, clarum eſt ſignum veritatis fidei: ſi ſine miraculis, hoc (vt Auguſtinus bene notat) maximum miraculum eſt, quod tales homines indocti, & in facie contemptibiles, tot ſapientes, & magnos viros, ad res, quæ humanum intellectum longe ſuperant, & quæ tam contraria ſunt affectib' humanis, credendas, & ſectandas adduxerint.

A perfectione vitæ Chriſtianæ.

Ad idem facit, vt ſcilicet ſecurè credantur quæ Chriſti fides docet, quòd eius lex ſummæ perfectionis eſt, vtpote ſummè Deum honorans: quia altiſſimè, & pientiſſimè de eo ſentit, ſummè homi-

hominem perficiens, quia ad altiſſimum finem, ſcilicet viſionis Dei, per optima media virtutum, & totius ſanctitatis externæ, & internæ eum deducit: & bonorum operum præmia, & malorum pœnam condignam declarat Omnes etiam veritates mortalium, & phyſicarum ſcientiarum, vt verū vero fidei conſonant. Adde internas illuſtrationes, & conſolationes eorum, qui fidei myſteria contemplantur; & tamen veritatis propriū eſt, animam intelligentem reficere.

Modus credendi conueniens eſt magis quā ſciendi.

Modus etiam percipiendæ veritatis, propter dicentis auctoritatem, non propter rationes credendo, conuenientiſſimus eſt: cùm quia ſcire paucorum intellectuum eſt, cùm ingenia rara ſcientiarum ſint capacia, tum ꝙ is modus eſt ad maiorem Dei gloriam, cuius verbo ſimpliciter reuelato, & per Eccleſiam propoſito credunt fideles, etiam in ijs, quæ non ſunt ſupra rationem, tum quòd ad maiorem certitudinem credendorum id facit, quia falli poterant homines ſuis ſenſibus, quorum experimentis ſcientiæ innituntur, ſed non poſſunt falli, ab ipſa veritate per lumen fidei edocti.

Ex his ergo conſtat, quod credere ſecurè poſſumus, & debemus, quæcunque San-

Sancta Eccleſia nobis credenda proponit. Quamuis enim credamus, propter auctoritatem Dei reuelantis (vt dictum eſt) euidens tamen fit ex his, eſſe ſecundum rationem quod credere debeamus. Et hęc de fide ſint dicta, ex quibus quam partem dicere oporteat, cùm ægrotus de fide tentatur, diſcretioni eius, qui iuuat ipſum, relinquendum eſt.

Quomodo iuuandi ſint, qui diffidentiæ, aut deſperationis difficultate laborant.

CAPVT XIII.

VT dejecti in ſpem erigantur, in primis videatur an verè aliquid ſit, quod meritò ægrotum prout tunc diſpoſitus eſt, ad diffidentiam moueat. Tale quid eſſet affectus ad peccatum, quem nollet relinquere, puta odij, inimicitiæ, vſuræ, voluntatis non reſtituendi aliena, vel quid huiuſmodi, de quibus inferius agetur c. 17. aut peccata aliqua in confeſſionibus omiſſa, aut nō bene explicata, & tunc impedimentum illud remouendum eſt, per bonam confeſſionem: & cauſa diffidentiæ ſublata, ipſa quoq; diffidentia tolletur.

Cauſæ diffidentiæ examinentur.

Si non erit cauſa juſta, propter quam
diffidat, ſed ex naturæ puſillanimitate,
vel memoria peccatorum præteritorum
vel tentationibus Dæmonis orta diffi-
dentia, & ſeruilis timor videbitur, ani-
mari debet multis modis. Primò ex par-
te Dei offenſi, cuius proprium eſt miſe-
Puſilla- reri ſemper, & parcere, dicendo hæc vel
nimes ſimilia: Chariſſime, bono animo eſſe te
animan- oportet cùm negotium habeas cum Pa-
di ex tre, qui quamuis offenſus eſt à te, Pater
parte tamen eſt: & quidem (vt ſacra ſcriptura
Dei. nos docet) Pater miſericordiarum, cuius
1. Cor. 1. miſerationum non eſt numerus, cuius
Pſ. 144. miſericordia ſuper omnia opera eius,
Ioel. 2. miſericors & patiẽs, longanimis, & mul-
Ioan. 3. tum miſericors, & præſtabilis ſuper ma-
Pſal. 31. litia, & te tantopere dilexit, vt Filium in
mortem impenderit, quò te à peccatis
redimeret: cuius tanta eſt propenſio ad
ignoſcendum, vt proponenti confiteri
peccata quaſi præueniens dimittat, jux-
Rom. 8. ta illud Pſalmiſtæ. Dixi confitebor ad-
uerſum me injuſtitiam meam Domino,
& tu remiſiſti impietatem peccati mei.
Qui proprio filio non pepercit, ſed pro
nobis omnibus tradidit illum: quomo-
do non etiam cum illo omnia nobis do-
nauit?

Secundò,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Secundò, ex parte Mediatoris ipſius Chriſti Domini noſtri. Verum eſt quòd multum & grauiter peccauimus: ſed poſuit Deus in Chriſto iniquitatem omniũ noſtrum: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanitati ſumus. *Eſa.53.* Fuit enim tãta erga nos pietas, & bonitas Dei noſtri, vt cum non poſſemus nos pro noſtris peccatis ſatisfacere, dederit nobis ſatisfactorem Filium ſuum: eius humilitas ſanat noſtram ſuperbiam: eius dolores noſtras voluptates: eius manſuetudo noſtras iracundias: eius charitas noſtra odia, & damna proximis illata: demum eius obedientia vſq; ad mortem omnia noſtra peccata delet: & minima ex illius paſſionibus ſufficeret ad ſatisfaciendum pro omnibus peccatis, cùm ſit infinitæ dignitatis perſona ſatisfaciens. Vnde ex juſtitia potes petere remiſſionẽ peccatorum, & regnum Dei: ex juſtitia, inquam, Chriſti, cum tibi eam applicare ipſe dignabitur, qui ſuperabundans pretium ſui ſanguinis pro te fudit.

Nota etiam quòd ille futurus eſt ju- *1. Ioa. 2.*
dex tuus qui eſt aduocatus, & ſedens ad dexteram Patris oſtendit Patri æterno cicatrices vulnerum, quæ pro tua ſalute paſſus eſt, Dic ergo cõfidenter: Domine

Ieſu, pone crucem tuam inter judicium tuum, & animam meam, & ſaluus ero. Vide, quam voluntatem habeat manſuetiſſimus agnus te condemnandi, qui
Ioa. 18. Malci, cùm veniret ad ipſum capiendum auriculam á Petro abſciſſam ſanauit: qui cùm idem Petrus ter ipſum negaſſet, reſpexit illum tam amanter, & mouit ad pœnitentiam, & poſtea caput etiam Eccleſiæ eum conſtituit: qui inter dolores crucis extremos, primum id verbũ profert;
Luc. 22. Pater ignoſce illis, quia neſciunt,
Io. 12. quid faciunt, qui latroni in Cruce pen-
Luc. 23 denti, vt ſui memor eſſet, ait. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Scias demum, quòd magis ipſe Dominus deſiderat te ſaluum facere, quàm tu ipſe
Ab exemplis hominũ qui offeſos condonarunt. deſideras quis ergo locus diffidentiæ.

Tertiò exemplis, hoc modo. Si homines ſerui Dei tam facilè dimiſerunt offenſas ſibi factas; vt Ioſeph ſuis fratribus dimiſit, vt Dauid, Saul & Nabal: vt ſanctus Stephanus ijs qui ipſum lapidabant; pro eis orando, & alij plurimi Sancti
Gen. 50. propter aliquam participationem diui-
1. Reg. næ bonitatis: quid putare debemus de
24. 25. illo fonte, imò mari immenſo bonitatis,
& 26. & miſericordiæ infinitæ? quantò erit ei
Act. 5. faci-

facilius, & magis congruum miſereri, & parcere: præſertim cùm hoc ſit certum, quòd quantò maiora fuerunt tua peccata, tanto cedit ad maiorem Dei gloriam, ſi illa tibi pœnitenti dimittat? Vt enim ille Dux maiorem honorem conſequitur, qui munitiora caſtella, & vrbes expugnat, & hoſtes validiores ſuperat: ſic Chriſtus maiorem conſequitur honorem, cùm vitia, & peccata plura & maiora ad cor redeuntium, pretio ſui ſanguinis delet. Maioris etiam eſt magnificentiæ, grandia debita quàm exigua, ſupplicibus dimittere. Ne ergo terreat te magnitudo aut numerus peccatorum, de quibus tibi diſplices ſicut enim vno ictu Dauid in figura Chriſti proſtrauit Goliath, & in fugam vertit Philiſtæos: ſic vna Crucis ſuæ applicatione Chriſtus Dæmonem cum omnibus peccatis tuis (ſi in ipſo confidas) proſternet, etiam ſi eſſent ſuper arenam maris, & grauiora, quàm vnquam in mundo ſint perpetrata. Hæc non continua oratione, ſed interrupta (vt primo cap. admonuimus) & paulatim dici debent: Poteſt & narrari hiſtoria populi Iſraelitici, cùm hinc Pharao premeret, inde mare effugium impediret, quòd virga percuſſum mare,

1. Re 17.

Exo. 14.

ipſis iter ſecurum præbuit, & Pharaonem cum exercitu ſubmerſit: ſic ſi voluntatis ſuæ virga, quia deteſtetur peccata, & ad Dominum conuertatur, malè peccatorum vitæ ſuæ anteactæ percuſſerit,
Lu.15.7. euaneſcent peccata. Sic poteſt adduci ex
Ioan. 4. nouo teſtamento exemplum filij prodi-
Matt.15. gi, Magdalenæ, Samaritanæ, Chana-
2. Re.12 neę, præter illud Petri & Latronis, quod
2. Para. tetigimus; & in veteri, Dauid, Manaſſe,
33. & populi Iſraëlitici, quem poſt tot offenſas ad terram promiſſionis, in figuram beatitudinis adduxit.

Ex parte promiſſionis Dei. Quartò ex parte promiſſionis Dei, dici poteſt; non dubites de venia, & eam tibi ego proferam, digito Spiritus ſancti ſcriptam, per Prophetam Ezechielem: In
Ezec. 8. quacunque hora ingemuerit peccator,
2.Tim.2 omnium iniquitatum eius non recordabor. Fidelis eſt Deus, negare ſeipſum
Matt. 6. non poteſt. Habes & manu Chriſti ſimile chirographum promiſſionis apud Euangeliſtam Matthæum Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimit-
Luc.6. tet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Sic apud Lucam, Dimittite, & dimittemini. Vides ergo frater, quòd ſi offenſas tibi factas ex corde dimittis, dimittet & tibi Deus peccata tua.

Quintò

Quintum, ex multitudine aduocatorum, de qua cap. 6. ſuperiùs, ſcilicet Angelorum, & Sanctorum, in Eccleſia triūphante & militante: ex operibus omniū piorum hominum, quorum ſumus participes, tot Miſſis, & orationibus fidelium, dicendum etiam, ſi quid in particulari fit pro eo. *Ex multitudine aduocatorū.*

Sextò, ex bonis, quæ agit ipſe ægrotus procedi poteſt, & ex voluntate, quam oſtendit conſequendi veniam, & ex diligentia, quam adhibet ad eam obtinendam, quam non adhibuiſſet, ſine præueniente gratia Dei. Signum eſt ergò quòd ipſi velit Deus ignoſcere, cùm det gratiam quærendi veniam. Si etiam Dæmon ſollicitus eſt de ipſo tentando, ſignum eſt, quòd de præda dubitat: & quando ad peccatum deſperationis ille nititur adducere ſignum eſt, quòd in eo ſit ſtatu, vt mereri etiam poſſit vitam æternam, & injuriam facere judici Christo, qui ſententiam, quam ipſe laturus eſt, præriperet, damnatum jam aliquem pronuntiando, dum viuit. Non enim ante mortem ſententia fertur, & ad illum vſque terminum merendi ſtatus durat. Quare bene ſperans quæcunque paſſus eſt in hac ægritudine, & in tota via ſimul *Ex bene actis.*

cum paſſione Chriſti offerat Deo, & magnam habebunt vim ſatisfaciendi: maximè accedente præparatione ad mortem ſubeundam, in remiſſionem peccatorum, de manu Dei.

Orationes ad erigendos puſillanimes in morte.

Septimò, per modum orationis adiuuari poteſt hoc modo. Eia ergo frater ſub vexillo ſpei de miſericordia, & veritate promiſſionis Dei, de meritis Chriſti de interceſſione Matris, & omnium Angelorum, & Sanctorum, bono animo pugna contra omnes aduerſarios: reportabis enim, cum Dei auxilio, victoriam, etiam cum ſpolijs meriti maioris. Dicas ergo mecum, Pater noſter, qui es in cœlis, miſerere filioli tui, mali, & ingrati, ſed tamen filij, quē adoptaſti per Ieſum Chriſtum verum, & conſubſtantialem Filium tuum: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Dicas & illud In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Et illud cum filio prodigo; Peccaui in cœlũ, & coram te: ſed maior eſt tua bonitas, quam malitia mea. Dicas cũ beato Anſelmo: Domine ſi puritatem meam ademi, nunquid miſericordiam tuam peremi? Si commiſi vnde me damnare poſſes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles

Pſal. 30.

propter

propter temetipſum miſerere mei. Pœnitet me, quòd tam ingratus fui beneficijs tuis, quibus me affeciſti, ſed propter Ieſu Chriſti Domini noſtri obedientiã, & charitataem, & pretioſiſſimam mortẽ ipſius, pro me tibi oblatam, dele iniquitatem meam. Dicas & illud Iob Etiam *Iob.15.*
ſi occiderit me, ſperabo in eo. Et cum Pſalmiſta dic animæ tuæ. Spera in Deo, *Pſ.41.*
quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. Hæc dilatari magis, & minus poterunt, prout diſcretio dictabit, & ſimul plura, vel diuiſim dici. Dicat & illud Pſalmiſtæ, Non in- *Pſ.114.*
tres in judicium cum ſeruo tuo, Domine male enim mecum agetur, ſi ſecundũ delicta mea judicabor: miſericordiam *Pſ.120.*
imploro, ad miſericordiam tuam confugio, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Vertat enim ſe aliquando ad Dominum Ieſum Chriſtũ, cuius crucifixi imago ei oſtendi poteſt, dicẽs, Domine Ieſu qui ſanguinem tuum pro me effudiſti, miſerere mei. Domine Ieſu, qui inter tot dolores & ignominias vitam tuam pro ſalute mea dediſti, miſerere mei, quia peccaui nimis in vita mea. In manus

tuas Domine, commendo ſpiritum meum &c. Ex ijs autem, quæ 6. cap. de ſpe erigenda, & de exercenda dicta ſunt, alia ſi opus erit, deſumi etiam poterunt.

Quomodo iuuandi ſint, qui contrarijs malis tenentur præſumptionis & nimiæ confidentiæ.

CAPVT XIV.

Pſ. 40. QVI excedunt in ſpe, & ad præſumptionem declinant, frenandi & dirigendi ſunt, ſi enim ſibi placere videntur, & efferri recordatione bonorum operum, quæ egerunt, juxta illud, Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperum, in die mala liberabit eũ Dominus, & ita ſibi deberi cœleſtem beatitudinem elato animo ſentire videntur: admonendi ſunt, quòd non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam, ſaluos nos fecit, vt ex Apoſtolo docemur: & in Dei bonitate, & Christi meritis prçcipuè figenda eſt anchora ſpei: qui etiam dedit gratiam ad bene operandum. Item quòd quantũ in nobis eſt: vniuerſæ juſtitiæ noſtræ ſunt velut pannus menſtruatæ, ſed ex gratia Dei valorem habent omnes bo-

Tit. 3. Vbi ſpei anchora augenda. Pſ. 64.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

næ actiones. Deo ſoli honor, & gloria debetur nobis autem confuſio, propter peccata noſtra, quæ propriè noſtra ſunt. Nam quod attinet ad bona non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & debemus Deo gratias agere etiam, quòd eius gratiæ cooperati ſimus. & aliquid cum ea boni egerimus: imperfectiones verò noſtras, vt proprias debemus agnoſcere, propter quas ſæpe vinum noſtrum, juxta prophetam mixtum eſt aqua, ſcilicet vinum intentionis placendi Deo, mixtum ex aqua vanæ gloriæ, vel negligentiæ, propter quam imperfectè egimus, & ſæpe omiſimus, quæ facere debuimus. Vnde væ nobis, ſi de bonis noſtris, in quantum noſtra ſunt, ſine miſericordia judicabimur. Adde, quòd in Euangelio dicitur. Cùm feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſumus: quòd debuimus facere, fecimus; imò tantum debemus diuinæ in nos charitati, & beneficentiæ, vt nunquam quod ei debemus, præſtare poſſimus: imò in immenſum ab eo deficimus.

2. Cor. 3.

Bona, quæ agẽmus Deo accepta ferenda.

Eſai. 1.

Luc. 17.

Si excedit in ſpe, quia tota cogitatio ægroti videtur ferri ad conſiderationem

Ad contritionẽ.

ſunt momenti, miſericordiæ Dei, & meritorum Chriſti, nec videtur de peccatis ſuis compunctus eſſe, dirigendus eſt, & admonendus, vt ita cõfidat in Dei miſericordia, & Chriſti meritis (quod laudandum eſt) vt interim doleat de peccatis ſuis: & conſiderando, quòd tantam maieſtatem, & bonitatem ingratè offenderit, humiliter & amanter ſibi condonari ſupplicet, ad actus contritionis, vt 2 cap & alibi dicitur, eſt adiuuandus, vt vtrouis modo in ſpe excedere videatur.

Quid agendum, cum accedit quis ad morientem, qui parum iam mente valet.

CAPVT XV.

CVM is qui accedit ad juuandum aliquem, qui morti vicinus creditur, inuenit eum parum mentis compotem, ad intelligenda quæ dicuntur, interroget (ſi neſcit) eũ qui vocauit, vel aſſiſtentes ei, an ſacramenta ſumpſerit, & de rebus ſuis diſpoſuerit: ſi omnia, quæ oportebat iam fecit, quæ in 19 cap. dicuntur fieri poſſunt. Quod ſi conſtiterit ipſum nihil tale feciſſe, (vt accidit ijs, qui nimis expectant, vel qui aliquo mor-

mor-

morbo opprimuntur, qui ſtatim mentem eripit, vel obfuſcat) præter ea quæ ſine ipſo fieri poſſe dicuntur, cap 19. prædicto (quæ peculiari ratione commendari debent aſſiſtentibus, vel amicis in tali ſtatu morientis) appellet variis modis ægrotum, & ſi oportebit voce clara, vt excitet eum, & ſi euigilabit aliquo modo, vel vtcunque ſignum dabit, quòd intelligat ea, quæ dicuntur, ſemotis arbitris, dicat qui iuuat, hæc vel ſimilia verba; Aduerte frater chariſſime, quod imminet tibi admodum vicina mors, oportet vt excites te, & conſcientiam tuam a peccatis expurges; agitur enim de ęterna tua ſalute vel damnatione & addat, Vis ne confiteri peccata tua, & accipere reliqua ſacramenta, vt omnis fidelis Chriſtianus debet? & hortetur ad id ſi annuit, nec tamen loqui poteſt, dicat qui iuuat, per nutus mihi reſponde (ſi non potes per verba) an feceris quæ interrogabo & proponat ei, excluſis circumſtantibus, vt dictum eſt, aliqua peccata, quæ veriſimile eſt in ipſo locum habuiſſe: & ſi annuit ſe admiſiſſe, eum abſoluat, ſi tempus id patitur & vſus rationis, interroget aliqua alia majoris momenti: & ſiue nutibus ſigniſi-

Appellandus ægrotus varie, vt excitetur.

Mors imminens ſignificetur, & confeſſio eliciatur ſaltem nutibus.

nificet ſe admiſiſſe, ſiue non, petat an habeat aliquid alienum quod debeat: & ſi annuit, petat an velit: vt hæredes rē examinent: & ſoluant quod debet: ſi annuit: vocentur hæredes: vel aliquis eorum, vel ſaltem teſtes, vt hoc illis committatur, dicente eo, qui iuuat, committis tuis hæredibus, vt examinent, ſi quid debes, & primo quoque tēpore ſoluant, ſi quid alienum inuenerint te habere? & illo annuente, denuò extra mittatur: & hortando morientem ad dolendum de peccatis, vt oportet, (ſi enim facit quod in ſe eſt, cùm loqui non valeat) abſolutionem det illi, tam à peccatis, quàm à cenſuris. Si recuperata, vel non amiſſa voce, dixerit ſe velle confiteri, & ſacramenta reliqua ſuſcipere, hortetur Sacerdos, vt dicat ſua peccata, incipiendo ab eis, quæ magis eius conſcientiam præmunt: & ſi non benè à ſeipſo confiteri poterit, interroget ipſe, incipiendo ab iis, quæ maioris ſunt momenti, & in illo locum poſſe habere probabile eſt: &, quàm breuiter poterit, ſe expediens (præſertim ſi deficere hominem obſeruat) & ad contritionem habendam de offenſis Dei charitate informatam, & non tantum ob timorem ſeruilem, &

Quid agendū, cum loqui poteſt aliquid qui moritur.

ad

ad dolendum, quod non magis ex animo doleat, ſeriò hortando, abſolutionem ei impendat: & ſi poteſt accipere viaticum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, à Parocho adferri curet: & poſt illud, extremam vnctionem. Si non videbitur poſſe deglutire ſacramentum, vel timetur, quod euomet, illud adoret, & extremam vnctionem ſumat, & ſi ad reſtitutionem aliquam teneretur, vel ſtatim eam faciat, ſi poteſt, vt ſuperius dictum eſt, vel cõmittat alicui, vt ipſius loco, quam primum fieri poſſit, eam faciat. Item ſi eleëmoſynas poſſet facere, committat vt fiant & ſi non fecit teſtamentum, nec videtur habere iudicium tam clarum, vt illud facere poſſit, ita vt ſit teſtamentum, non deliramentum, videat qui iuuat, & tractet (ſi poteſt ſecurè id facere) cum aliquo ex coniunctis morienti, an ſit melius, vt ab inteſtato bona veniant ad eos ad quos ventura ſunt, an vt teſtamentum breuiſſimum ægrotus faciat deputando aliquos, quibus confiteri poſſit, vt ipſi in particulari faciant, quæ facienda eſſe in Domino videbuntur. Quòd ſi, antequam vſum ſermonis & mentis amitteret, petiit

De teſtamentotaliū.

De ſacramentis conferẽdis.

ſacra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſacramenta, ac verbis, vel ſignis (vt puta manus eleuando, vel pectus tundendo) poſt amiſſum vocis vſum contritionem oſtendit, licet magnus fuerit peccator, præſumitur contritus, & poteſt ei dari Euchariſtia (ſi ſperatur, quod eam deglutiet, ac retinebit) & extrema vnctio & abſolutio à cenſuris, ſicut etiam à peccatis, ſi vel vnum confeſſus eſt verbo, vel nutibus. Si tamen publicus vſurarius fuiſſet, non debet recipi ad confeſſionem, vel alia ſacramenta (licet contritionem oſtendat) antequam ipſe, vel hæredes eius reſtituant vſuras, vel promittant, vel dent cautionem, prout iura diſponunt. Quod ſi iudicium non erit ſufficiens ad contritionem habendam, nec eam prius oſtendit, vt par erat, petatur an aliquod interuallum lucidum habere ſoleat, vel ſperetur à medico quòd ſit illud habiturus (vt poſſet fieri ceſſante febris vigore) & tunc redeat qui iuuat, ad ſubueniendum ægroto, vt ſupra dicitur, vel inde non recedat, donec adnitatur in meliorem ſtatum morientem reducere, quoad eius fieri poterit, & interim, quæ ab aliis ſine ipſo fieri poſſe diximus, diligenter curet vt fiant.

De communio-

Si cōfeſſus iam fuiſſet, qui ſic diſpoſitus

EOS

tus inuenit
Euchariſtiæ
adferatur t
quo habuer
quamuis ta
poteſt ei via
eſt) non ti
Sancti Sacra
glutire non
compos me
ctionem vol
mnia Sacran
niebat, ſibi
tionem ſalt
faciendi,
facere debe
ei extrema v
recto menti
cunque aure
ſaltem ad in
ſet, loqui,
nem, vt di
corde: Miſ
magnam m
lud Non i
tuo Domin
ne, quia pec
alia ex eis,
tritione ſup

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus inuenitur, & tamen non ſumpſiſſet Euchariſtiæ ſacramentum, curetur vt ei adferatur tunc, vel cum interuallo aliquo habuerit meliorem vſum mentis, quamuis tamen non habeat meliorem, poteſt ei viaticum conferri, ſi (vt dictum eſt) non timetur vomitus, vel reiectio Sancti Sacramenti, vel quod illud deglutire non valeat, & ſi dixit, cùm eſſet compos mentis, quòd extremam vnctionem volebat, vel in genere, quòd omnia Sacramenta, vel quicquid conueniebat, ſibi dari poſtulabat: vel contritionem ſaltem oſtendit, & voluntatem faciendi, quod vt fidelis Chriſtianus facere debebat, ſuo tempore adferatur ei extrema vnctio, licet iam non vtatur recto mentis iudicio, ei detur. Quocunque autem tempore capax videbitur ſaltem ad intelligendum, licet non poſſet, loqui, excitandus eſt ad contritionem, vt dicat ore & corde, vel ſaltem corde: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam: vel illud: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine: vel, Parce mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea: vel alia ex eis, quæ cùm ageretur de contritione ſuperius dicta ſunt. Licet autem

ne & extrema vnctione.

De excitatione ad contritionem.

tem ſit iam confeſſus, ſi vſum adhuc habet aliquem rationis, & vocis, quamuis exiguum, petatur ab eo, ſemotis etiam arbitris, an aliquid habeat, quod conſcientiam grauet, cuius non meminiſſet, dũ confiteretur, vel in quo non eſt quietus eius animus, vt ſuperius ca. 8 dictum eſt, & ſi ſit aliquid, quòd expediat confiteri, poterit eum reconciliare; ſi eſt reſtitutio, vel quid aliud faciendum, curet vt fiat, quemadmodum ſuperius dictũ eſt. Suggerat etiam ei vt proteſtetur, ſe velle viuere, & mori in fide catholica, & vnione Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ: quodque ſperat in miſericordia Dei, quòd per IESV Chriſti paſſionem, ac mortem, ſi ſua condonabit peccata, & ad vitam æternam perducet, & verbis præire poterit ipſe qui iuuat, vt alibi diximus, ſed hic conciſe & breuiter magis: & ſequatur eum ægrotus ore, vel ſaltem corde. Quod attinet ad ea, quæ ad charitatem mouent, ſi capax erit, aliqua dicãtur ex iis, quæ cap. 7. ſunt dicta & ſic de aliis, quæ cum benè diſpoſitis diximus poſſe obſeruari, ſemper habita ratione perſonæ, & vſus rationis, & linguæ, quam habet: ſed imprimis vt in corde & ore habeat nomen Ieſu, & ei ſe com-

mem-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mendet, & Beatiſſimæ ipſius matri, & Angelis, ac Sanctis, deinde ad ea ſe conuertet, quæ ſine ipſo ægroto fieri poſſunt, de quibus cap. 19. Illud autem eſt obſeruandum, cùm moriens iam nullum videtur habere vſum rationis, & illa exercentur, quæ diximus ſine ipſo poſſe fieri, vt interim conſideretur, an aliquod interuallum habeat, qui in extremis laborat, vt aliquid boni poſſit ei ſuggeri: & tunc nulla occaſio, licet exigua, omitti debet, quin ei, quæ maximè ſunt neceſſaria, ſuggerātur: & imprimis, ne ſine abſolutione decedat, ſi vel vnicum peccatorum verbo, aut nutibus potuit confiteri.

Quid agendum, cùm ægrotus vſum habet rationis, & ſermonis, ſed eſt breue tempus ei reliquum.

CAPVT XVI.

ACcidit aliquando, vt ægrotus iudicio quidem, & ſenſibus, ac voluntate ſit benè diſpoſitus, vt iuuari poſſit, ſed tempore deſtituitur: vt contingere poſſet, cū quis vulneratus eſt lethaliter, vel vtcunque, cum timetur, ne mors, vel delirium breui ſuccedat, tunc euoca-

De confeßione. tus aliquis, vt moriturum iuuet, ſi intelligit quod non eſt confeſſus, imprimis ſemotis arbitris, eum hortetur, vt dolorem de offenſis Dei habeat: & confiteatur ſua peccata, ab eis incipiendo, quæ magis eius conſciẽtiam grauant & poſtquam dixerit, quæ recordatur, ſi videntur aliqua neceſſariò eſſe interroganda, ſtatim & expeditè interroget, & tantum de iis, quæ mortalia eſſe poſſe videntur: & ſi nihil ipſe ex ſe diceret, ſed interrogari vellet, confeſſarius interroget, ad eundem modum incipiendo ab eis, quæ ſecundum ſtatum ægrotantis vel cognitionem, quam de ipſo habet in eo probabiliter locum habent: & ſi non videret contritionem ſufficientem, hortetur ad eam procurandam: & iuuet ad id ipſum, breuiter, exaggerando peccata, & ingratitudinem peccantis erga Deum, ſic amantem, & benefacientem: curando, ut dolor ſit non tantum propter pœnam, quam meruit, ſed magis propter offenſam tanti Patris, & de ſe tam benè meriti, vt non ſit cum diffidentia coniuncta, ſed cum ſpe in miſericordia infinita, & bonitate Dei, & in meritis paſſionis, & mortis Ieſu Chriſti conſtituta, & breuiſſimè, quoad eius fieri poteſt, hæc tran-

tranſigens, abſolutionem impendet, licet poſt abſolutionem (ſi tempus ſuppetet) alia etiam ex dictis alibi poſſunt adduci, ad maiorem contritionem, ſpem, & dilectionem Dei in ipſo ægrotante excitandam confidentia

De communione & extrema unctione.

Interim dum confeſſionem audit, premonitos oportet alios, vt ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis, præſto habeant, & ex parochia adferri curent, niſi facultatem haberet ægrotus, à quo vellet, ea ſacramenta accipiendi, & diſponat breuiter ægrotum ad communionem, & ad petendum extremam vnctionem, imò & accipiendam, primo quoque tempore, vt maiore cum deuotione, compos mentis eam accipiat.

De reſtitutione & pacificatione.

Si deprehenderit in confeſſione, aliquam reſtitutionem eſſe faciendam rei vel honoris, & conſtat de quantitate, & perſonis quibus debet fieri, & adeſt facultas ſtatim reſtituendi dùm parantur alia ſacramenta, curet vt ſtatim fiat; vel ordinetur (ſi res id patitur) alicui, vt faciet eam vt puta œconomo, vel amico, cui confidere poſſit. Item ſi venia inimicis, vel eis qui eum offendiſſent eſſet danda, & hoc coram Notario & teſtibus

ſtibus, vel ſi non ſuppetit tempus vocandi Notarium, ſaltem coram teſtibus (ſi inimicitia vel offenſio eſſet publica, vt ſuperius diximus) fiat. Si non poteſt ſtatim reſtitutio fieri, quia non conſtat de quantitatibus rerum vel de perſonis, vel quia non eſt ad manum pecunia, vel id quod debet reſtitui, pręter promiſſionem ægroti, curet, vt idoneo alicui iniungat, vt de ſuis debitis inquirat diligenter (& dicat ægrotus, ſi quid meminit) & ſoluat ſtatim, vel cùm primum fieri poſſit. Quòd ſi res vel tempus aliud non patitur, in teſtamento (quod ſi vita durat, faciendum eſt) vel ſaltem coram teſtibus, aut quocunque modo, ac via commodè poterit, grauet hæreditatem ſuam hoc onere reſtituendi, vel ſoluendi quod debet, ita vt nihil executores, vel hæredes prius quàm hoc exequi curent. Si breuiſſimè hæc fieri non poſſent, dummodo videatur prompta voluntas ægroti ad ea facienda, non impediet, nec ab abſolutione, nec à communione, nec ab extrema vnctione: ſed qui iuuat, non deſerat eum, donec, quoad eius fieri poſſit, ſuæ conſcientiæ in prædictis ſatisfaciat. Si non habet facultatem ſoluendi debita, proponat moriens,

Quid cū non poteſt reſtituere.

quod,

quod, ſi Deus vitam daret, quandocùnque poſſet, ea ſolueret: nec putet ea tunc ſalutem æternam ipſius impeditura, quia Deus omnium Dominus eſt: tantum vt de ſuis peccatis, ſuper omnia dolore nitatur, & in Chriſti meritis, & miſericordia Dei anchoram ſpei figat.

Moriens petat ſuffragia piorum locorum.

Si fieri poterit, emittat ad loca pia, & petat orationes & Miſſarum ſacrificia, vt dignetur Dominus dare tempus ad ea quæ animæ ſaluti ſunt neceſſaria, ante mortem conficienda: & ad eadem, & ad alios pauperes mittat eleëmoſynas, ſi facultas ſuppetat, & quidem liberaliter, & ſi ipſe non id faceret, amici deberent facere pro eo, vt reliqua, quæ ſine ipſo tranſigi poſſunt.

Ordo rerum talibus agendarum.

Si rebus neceſſariis peractis, ad alia ſuppeteret tempus, fiet ex dictis in cap. 5 6. & 7. quæ poterunt: ſed præcedant omninò quę ſunt magis neceſſaria. Memor ſit autem qui confeſſionem audit eius qui in articulo mortis eſt (id eſt, de quo probabiliter creditur, quod morietur, vel de eius morte multum dubitatur à medicis, vel aliis prudentibus) quòd quiuis Sacerdos Catholicus poteſt abſoluere illum ab omnibus peccatis, etiã

ſedi-

Quo in caſu qui uis poteſt abſoluere. ſedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnę reſeruatis, & conſequentibus cenſuris, &c. ſi tamen peccatum annexam habet excōmunicationem, à qua non poſſit extra hunc caſum ipſe conf. ſſ rius eum abſoluere debet iniungere morienti, vt, ſi cōualuerit, ad ſuperiorē pro remedio confugiat, quæ intelligantur, ſi non poſſet moriens præſentiam habere Superioris, qui facultatem talem habeat; nam tunc eſſet ille vocandus (ſi non eſt periculum in mora) pro caſu illo reſeruato.

De iis quæ agenda ſunt cum iis qui intellectu quidem valent, ſed voluntas illius ægra eſt, vt id faciant, quod facere eſt neceſſe.

CAPVT XVII.

Aliorū oratio nib. inuentu, &c. SI illi, quibus mors imminet, non deſtituuntur vſurationis, & ſenſuum, ac ſermonis, nec tempore ſed voluntate faciendi quod ad ſalutem ipſorum neceſſarium eſt; imprimis iuuandi ſint amicorum, vel conſanguineorum charitate: qui pro eis orationes, & eleëmoſynas fieri, & miſſas dici cu-

curent; vt ſic indiſpoſitis impetretur à Deo miſericordia, qua dignetur cor eorum emollire, & ad viam ſalutis, in tantę neceſſitatis tempore, adducere. & tam quæ ab ipſo qui juuat, quàm quæ ab alijs ſine ipſo ægroto fieri poſſe diximus, cum talibus ſunt perneceſſariò largiùs facienda, & ad hunc finem applicanda, vt à Deo gratia impetretur, qua illi benè ſe ad migrandum diſponant.

Qui apud talē auctoritate valent hortentur eum.

Interim tamen non omittantur, quæ cum ipſo ægroto fieri poterunt, & ſi aliquis ſit, qui apud eum auctoritatem, vel gratiam habeat, is eum hortari deberet, & rogare, vt curaret ad ſe vocari virum aliquem ſpiritualem, à quo conſolationem & auxilium acciperet; ea dicendo de perſona eius, quæ libentius eum audiri & magis ei credi facient. Sed quamuis hoc non fieret, inuiſat eum Sacerdos, & ſalutet eum, & amanter appellet, & de morbo interroget, & compatiatur eius ægritudini, & compaſſionem ipſam præ ſe ferat; vt amoris ſignificatio conciliet beneuolentiam apud ægrotam: quæ multum conferet, vt quæ ad ſalutem ſuam faciunt, ab eo libentius audiat. His præmiſſis, blandè hortetur æ-

Vnde incipiat, qui iuuat.

grotum, vt ad Deum, pro remedio confugiat; qui ſæpe per morbos hoc agit, vt qui obliuiſcebantur ſui Creatoris, hoc quaſi ſtimulo incitati, ad ipſum refugiant quod autem propter peccata interdum immitantur morbi, patet in paralytico Ioan. 5. vnde ſanato Chriſtus ait. Vade & jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vnde obſeruari oportet illud Innocentij ſalubre decretum, vt ſcilicet initio morbi, ægroti confiteri teneantur, vt medici in eorum curatione pergant. Deus enim, vt omnipotens, & animæ, & corporis morbos curare poteſt, & vt Pater, noſtri amantiſſimus, vult omnia, quæ nobis ſunt conuenientia, ſi humiliter ab eo petamus, tribuere. Prius tamen neceſſe eſt eius amicitiam, & gratiã procurare. Nam licet Pater ſit clementiſſimus, & magis omnia bona nobis conferre velit, quàm nos accipere, nihilominus quia juſtus eſt, vult vt, qui peccauit, contra ipſum, agnoſcat ſuum errorem: & vt ei diſpliceant quæ malè geſſit contra ſuum creatorem, & tam multorum beneficiorum auctorem, & vt confiteatur Sacerdoti, cui dedit De⁹ facultatem abſoluendi ab omnibus peccatis, & ita dicatur, quod

Can. Cũ infirmitas. Quomodo ad confeſſionem diſpõat.

cx

ex ea confeſſione debeat initium facere ſuæ reconciliationis cum Deo. Si vollet confiteri, benè eſt, & cætera fiant, vt ſupra.

Si adhuc nollet confiteri, vel differret, dicere illi oportet illud Eccleſiaſtici de quo ſupra capit 2. Fili non tardes conuerti ad Dominum, & reliqua, quæ ibi habentur contra differētes: quia ſi mors in ſtatu peccati aliquem deprehendat, eſt certa damnatio faciat ergo quod facturus eſt, dum tempus habet. forte etiam diuina bonitas, ſi miſit hoc flagellum propter peccata, cùm ea confeſſus erit, reſtituet ſanitatem corporis, quòd ſi omnino ab hac vita recedendum erit, videat ipſe, quanti referat ad æternam vitam tranſire, & ab æterna damnatione liberari. ſi opus erit, addi poterit aliquid de honore, vt ſcilicet quod magna infamia ſit in tali tempore non ſe diſponere ad moriendum, vt decet Chriſtianum; quodque nec ſepultura dignus eſſet Chriſtianis conſueta. addatur etiam quod conſolationem magnam ſperare debeat poſtquam confeſſus fuerit peccata ſua: licet modo moleſtum eſſe videatur confeſſionem inſtituere.

Contra differentes confeſsionē *Eccl. 5.*

Quod ſi ne tunc quidem ſe paratum

Inquiratur cauſa cur nolit cō. fiteri.

ad confitendum oſtendit: curet intelligere cauſam eius rei, aliquando enim id accidere poſſet ex infidelitate, vel hæreſi aliquando etiam ex deſperatione, propter malè actam vitam, & multa, grauiaque peccata, quæ fortè à multis annis non eſt confeſſus: aliquando etiam ob pactum aliquod initum cum Dæmone, qui ipſum, jam vicinum morti, retinet ne confiteatur: aliquando ex affectu aliquo fixo, circa aliqua peccata, à quibus non vult ipſe recedere; quale eſt odium, vel vindictæ appetitus, vel vſura, aut aliqua malè parta, quæ nō vult reſtituere, aut carnis peccata, vel ſiquid huiuſmodi eſt: aliquando acedia quædam, & difficultatis confitendi horror.

Quid ſi infidelitas vel hæreſis deprehēditur.

Si infidelitas, vel hæreſis detegitur, ea quæ de fide dicta ſunt cap. 12. proderunt potius quam diſputare in particulari, niſi magnam daret occaſionem ægrotus, rationem ſui erroris aſſignando. tunc enim confutari id expediret, vel ab eo qui juuat, vel ab alio in eiuſmodi rebus peritiori, ſed communia illa magis ad rem faciunt, etiam in hoc caſu, vt plurimum. Peti etiam ab eo poſſet, an putet ſalutem conſequi eos poſſe qui tenent, quod Catho-

tholici Chriſtiani tenemus. Si negat; abſurdum jam eſt manifeſtè tam multa millia hominum, qui virtuti, & pietati dediti fuerunt, damnari. Si admittit (vt quidam infideles admittunt, & etiam hæretici) ſaluos eſſe poſſe; tunc inferre poterit: cum ergo qui credunt, quod eccleſia catholica credit ſalui eſſe poſſint per te, per nos autem nullus eſſe ſaluus poſſit extra hanc Noë arcam; cur in tanto periculo damnationis æternæ potius, quàm in ſecure ſtatu, vis ex hac vita decedere? Addi etiam poſſunt, quæ ad affectum mouendum faciunt: quale eſt, in inferno pœnis nunquam finiendis cruciari, & in hac vita in infamiam ſuam & ſuorum indelebilem incidere.

Quid ſi deſperatio detegitur.

Si animaduertitur, quod ſit potius deſperatio, ob grauitatem, & multitudinem peccatorum, tunc locum habent, quæ de ſpe erigenda dicta ſunt cap. 6. & 13. & quod totius mundi peccata, Dæmonum ſimul & hominum, ſi in vno homine conjungerentur, in abyſſo miſericordiæ immenſæ, velut nihilum abſorberi, & vna gutta ſanguinis Chriſti lauari poſſent. Nouit Deus figmentum ſuum, & eius fragilitatem, & ad peccata propen-

ſionem; & prompta eſt ipſius benignitas ad ignoſcendum, ſi humiliter quis ei agnoſcat, ei diſpliceant, & veniam confidenter ſperet, & poſtulet à Deo miſericordiam, per Ieſum Chriſtum, &c.

Quid ſi pactum cum dæmone impedit.

Si (quod raro accidit, ſed poteſt tamen accidere) pactum aliquod cum Dæmone initum, diffidentiæ, & deſperandæ ſalutis cauſa eſſe percipitur: dici debet, quòd proditori nullum pactum eſt ſeruandum, licet propria manu, imò & ſanguine (quod quidam fecerunt) eſſet chirographum Dęmoni datum, & quòd deceptorem decipere debet, & confugere ad verum Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui creauit nos: & à poteſtate Dæmonis, & tenebrarum, per ſanguinem ſuum nos eripuit, & tranſtulit in regnum ſuum, & exempla adduci poſſunt: vt illius, qui à beato Baſilio adiutus eſt, & chirographum, quod dederat Dæmoni, fuit ei reſtitutum & aliarũ perſonarum notarum, quas conſtat initum pactum cum Dæmone eluiſſe per confeſſionem, & viam ſalutis eſſe ingreſſas, & licet Dæmon non redderet chirographum, non refert: quia Chriſtus Ieſus, Dominus eſt abſolutor vniuerſorũ,

&

& ita dici debent, quæ ad ſpem faciunt, alibi dicta, & quæ ad contritionem proponente ipſo ægroto, ſi Deus vitam dederit, pœnitentiam & ſatisfactionem ad arbitrium confeſſarij.

Quid cũ ex affectu peccati nõ vult cõfiteri.

Si difficultas confitendi, ex eo procedit, quòd nõ velit ægrotus vel affectum peccati relinquere, vel rem injuſtè poſſeſſam, aut damnum illatum reſtituere: imprimis ſignificetur ei, quòd certa mors imminet, quæ faciet. vt omnia bona hæc, & corpus ipſum cùm ſuis affectibus relinquantur: nec ſecũ feret aliud, quam animam ſuam, & bona vel mala, quæ egerit: & quod ante tribunal Chriſti ſiſtetur, vt ſecundum ea, quæ geſſit, vel ad ignem æternum damnetur, vel vitam æternã accipiat, & ſi timet filios in paupertate deſerere, reſtituẽdo quod debet, vel ab injuſto quæſtu recedendo (nam in hoc ſolet eſſe maior difficultas, quàm in alijs affectibus) videat quàm ſit cõtra omnem rationem, vt velit ipſe in æternum paupertate, & diris tormentis cruciari; vt filij habeant bona temporalia, quæ fortè illis erunt cauſa eiuſdem damnationis, & quibus fortè non diu fruentur etiam in hac vita, quia malè parta, malè dilabuntur, & de eis raro gaude-

 bit

bis tertius hæres: & quòd Dei, Patris veri prouidentiæ ſunt committendi, poſtquam is fecerit quod juſtè pro eis poſſit. & demum addi debent, quæ timorem incutiunt pœnarum & quę mouere poſſunt, ad præferenda his bonis terrenis cœleſtia & ſempiterna bona; ad quæ ſe diſponet relinquendo quæ injuſtè hic retinentur. Et quia varia hominum ingenia varijs modis mouentur, ſi via timoris non ſufficit, nec ſpei: tentetur ea quæ ratione amoris valeret mouere, & vim habere poſſet in ijs, qui carnalibus affectibus adhærent, & etiam in alijs; explicando beneficia Dei tam naturæ, quam gratiæ, & gloriæ vt ſupra cap. 7. & charitatem Patris æterni, qui cùm inimici eſſemus, dedit Filium ſuum; vt nos ſeruos redimeret: dilectionem Filij, qui vitam ſuam dedit pro nobis, vt ſupra c 7. Aliqua etiam de fama vel bono nomine in hac vita poſſent quoſdam mouere. & ſi obſeruabit, quod ægrotus his potius, quàm illis rationibꝰ vel modis moueatur: in eis magis hæreat (cum moderatione tamen prudenti) quæ efficaciora ſenſerit, vt is ad ſalutem ſuam curãdam excitetur, ac juuetur. Si difficultas non videtur in affectu fixo ad peccatum,

ſed

Quid cũ ex acedia impeditur.

ſed potius in acedia quadam, quæ facit vt laborem ſe diſponendi quis exhoreſcat: imprimis ſignificanda eſt ei mortis imminentis viciſſitas & damnationis æternæ periculum, ſi non fecerit quod debet. deinde offerat ſuam operam quâ juuat morientem, ad redigenda ei in memoriam peccata, & partem pœnitentiæ, ſi opus erit, pro ipſo ſubeundam, & ſi ne tunc quidem vellet, prodeſſe poſſet, quod alicui ex Patribus noſtris accidit cum quodam, qui confiteri ſacramentaliter recuſabat, vt ſcilicet per modum colloquij cum ægroto (ſemotis arbitris) interroget de ſpeciebus peccatorum, quæ ipſius conſcientiam premunt, deſcendendo quantum poſſit, & ſic ſatis, ad particularia. & cum jam vel omnia, vel magnam partem habuerit, dici poſſet ei: Ecce tu timebas laborem confeſſionis, & tamen ferè omnia confeſſus es, quæ oportebat. Vis ergo finire quod reliquum eſt, vt tibi impendam beneficium abſolutionis: ſi admittet, tunc vt cum magis diſpoſito, pergat ad reliqua, & ad dolorem pro peccatis habendum adiuuet, vt ſupra c. 2. & cùm eò adductus erit vt abſolui poſſit, eum abſoluat.

Vndecunq; accidat difficultas ægro-

Adducatur ad eleemoſynas, &c.

ſi in primo congreſſu non ſibi perſuaderi ſinit, vt confiteatur, & ad mortem ſe diſponat: curet qui iuuat, vel eleemoſynas pro ſe faciat, & orationes, & Miſſarum ſacrificia poſtulet, oret & ipſe, ac Deo ſe commendet, vel ſi per ſe hæc non fecerit, committat alijs, vt pro ipſo, quã largè fieri poſſit, ea præſtent, & non ita eum, qui talis eſt relinquat, ſi fieri poſſit, quin denuò ad ipſum reditus pateat, ad agendum de ijs, quæ ad animæ ipſius ſalutem pertinent. ideo, vt ne moleſtus ſit ægroto (ſic diſpoſito præſertim) imò vt ei gratus ſit, & conſolationem adferat, ſtudere debet, & ſi de aliquo alio putaretur, quòd futurus eſſet gratior ægroto, vel maioris auctoritatis apud ipſum: ſuggerat amicis infirmi vt is euocetur. Si tandem ad confeſſionem adducetur, procedi cum eo poterit in communione, extrema vnctione, teſtamento, & alijs, quæ conferre dicebantur morientibus, prout dictum eſt cum benè diſpoſitis, ad auxilium ferendum procedendum eſſe, ſecundum quod tempus, locus & perſonarum qualitas feret.

Quomodo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quomodo adiuuandi, qui propter delicta ſua damnati à Iudicibus mortis ſententiam acceperunt.

CAPVT XVIII.

Morte mulctandos adiuturi, ſint antea illis familiares.

PErutile ſanè eſſet in primis, vt ijs omnibus, qui à mœrore ac triſtitia morte mulctandos leuaturi, vocantur ad carceres, omnis eorundem viuen uendi ratio priùs nota fieret, ac familiaris: confeſſiones excipiendo, eoſdem adhortando, atq; adeo etiam, ſi res ita poſtularet, vtcunq; hominem pro viribus adiuuando, ſiquidem multum conferre videtur, vt huiuſmodi viri ab his, quos in carceribus degentes inueniunt, poſt verò ad ſupremum damnantur ſupplicium, in magno honore habeantur: dum recordantur ſe cum illis antea horas totas familiariter eſſe loquutos: quos ad id præſtandũ diuini honoris zelo, & ſuarum animarum ſalutis deſiderio impulſos cognouerunt, quo etiam ſæpe moti, omnem illis vitæ ſuę rationem apertè declararunt. quæ quidem res aperit ampliſſimum aditum ad facilè, id quod intendimus obeundum. E contrà verò, ſi quis fortè reũ, qui iam iam ad præſen-

tem ducitur necem, ſolari voluerit, cùm nunquam eum nec de nomine, aut facie nouerit; credendum eſt fore periculum, ne minus res è ſententia ſuccedat: verendumque ne hac ipſemet re callidus Cacodæmon vtatur ad magis magiſque necandi hominis, ab omni pietate auerſum animum obfirmandum, illius menti obijciendo, eum in extremo vitæ periculo ab omnibus, quos ante nouerat, omninò deſtitui, & ſocios tantum habere eos qui nolentem trahant ad interitũ.

Sciatur ex miniſtris juſtitiæ qui cáptiui periclitentur de vita.

Admodum præterea videtur eſſe neceſſarium, eum, qui velit conſolatoris hortationiſque ſubire prouinciam, vel cum eius loci Moderatore, vel Iudicibus aut cuſtodibus, aut etiam ſaltem cum illorum carcerum œconomo, qui & ex antiquis eſſe ſolet, nec vt plurimum vniuſcuiuſque ignorat vitæ diſcrimen, aliquo modo conuenire, vt ex verbis intelligat, an aliqui in eo carcere reperiantur, de quorum capite agatur, vel ſaltem agi ſit periculum, quo facilius cum iiſdem maiorem contrahat amicitiam, eoſque ad pœnitendum hortetur, ante mentis aciem ipſorũ exhorrenda ac pertimeſcenda ſcelera proponendo, ex quo facile

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facile ſit, vt cùm ad expianda confeſſione flagitia, & ſacrum Chriſti Seruatoris noſtri corpus aſſumendum, tum etiam ad ſolam Dei optimi Maximi voluntatem optandam, ſive victuri ſint, ſiue morituri, rei excitentur: ꝙ forte non ita fieret in ipſo extremæ vitæ periculo. Cauendum tamen maximè erit, ne in familiaribus colloquutionibus aliquid illis certum eſſe de imminente morte ſignificetur: ne hoc nimium exhorrentes, animo cadant omninò, ac de omni ſalute illicò animæ, corporiſque deſperent, ideoque nullius amplius colloquia, ad animarum ſuarum ſalutem pertinentia, velint admittere: ſed potius maiori conſilio ac prudentia certiori procedetur, ſi omnia quæ dicentur, à peruerſi facinoris grauitate quaſi ducta ac petita, cum magno periculo illis impendente conferantur.

Quid eſt faciendum quâ intempeſta nocte ad plectẽdũ morte accedit.

Maximè etiam conſolanti eſt animaduertendum, ne cùm intempeſta nocte plectendum capite roboraturus accedit, primus ante ipſum ſe ſiſtat in eo cubiculo, ad quod ſuo aduentu reus euocatur. Etenim ſemper fere cuſtodes carcerum, ne nimium reis mortis horrorem incutiãt, ab inferiori cubiculo euo-

cant

cant ad ſuperiùs, non quaſi ad mortem ſed potius ad triremes, aut in exilium amandandos, &c. Quare ſi reo alacriter ſuperiùs aſcendenti primus omnium ſeſe confeſſarius offerret, fieret non modò vt ei nihil omnino virium conſolando adderet: ſed eas etiam omnes, quas haberet, ſua præſentia frangeret ac debilitaret. Omnis igitur cura hac in re cuſtodibus videtur eſſe relinquenda: à quibus priùs de certa imminente morte admonitus ſit reus, & ad libenter id faciendum paulatim animatus: addi etiam poterit confeſſarium vnà adductũ eſſe, qui eum facile conſolabitur, & ad bene ex hac calamitoſa vita decedendum edocebit, tum verò ad eum ipſe confeſſarius ingreſſus, aliquem doloris ſenſum præ ſe ferendo, alacri patientiq́ue animo eſſe mortem ſubeundam oſtendet; ſiquidem Diuina voluntate hominumq́; ſapientum conſilio id totum efficitur.

A cuſtodibus de morte moneaturreus.

Hæc verò, aut his ſimilia, mortis reo proponentur.

Dei prouidentia in hoc genere mortis.

1. DEVM Optimum Maximum, qui mundum hunc vniuerſum æterna quadam

dam mētis prouiſione moderatur, hanc ſalutis ſuæ viam ſtatuiſſe. Qui quidem quamuis eum ad felicitatis patriam alio tramite ducere potuiſſet, magis hoc ei expedire præcognouit: atque ideo erecto animo mortem eſſe perferendam, quin etiam exoptandam, &c.

2 Eam ipſam mortem, quam ipſe tantùm exhortet, ſummum etiam bonum beneficiumq́ue ſingulare ipſi à Deo immortali munificentiſſimè conceſſum. Quis enim non apertè videat eum, qui tot ſceleribus, odiis, immenſisq́ue periculis fuit inuolutus, toties aut inimicorum ſuorum telis confoſſum occidere, aut etiam diuina voluntate ſubita quadam nece extingui potuiſſe? Ad hæc omnia ipſum Dei beneficio euaſiſſe, quod non ita facilè exhibuit omnibus: quin potius ſcelerum ſuorum cum animi magno dolore, lacrymiſq́ue poſſe pœnitere, eaq́ue ſibi præſenti detegere confeſſario.

Mors eiuſmodi magnū Dei beneficiū.

3. Huic ſimile certum vitæ ſuæ ſpatium Prophetam expoſtulaſſe: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum. Quod etiam nec quamplurimis eſt conceſſum, qui peruerſo potius animo, improuiſa morte ceci-

Pſal. 36.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ceciderunt, pœnas etiam daturi ſempiternas.

Hoc mortis genus aliis felicius eſſe.

4. Hoc mortis genus eſſe feliciſſimum, & à quouis alio, erecto quidem animo perferendum, vt ſuauiſſimum. Si quidem, cùm ob varios morbos præſentes, ægros admodum diuturna torqueat cogitatio acerbiſſimorum dolorum qui perferuntur, medicamentorum quæ ſumma cum difficultate aſſumuntur, & expectatio futuræ ſanitatis: vix credi poſſit ægrum ſana mente commiſſorum facinorũ recordari, nedũ dolere, ex quo fit ſępe, vt quã plurimi ſpe quadam inani conualeſcendi quam primum decepti, abſque vlla peccatorũ ſuorum expiatione moriantur: ſi verò mortem eam cõſideres, quæ ſubitò, minimè de illa cogitantes tollit è medio, luce clarius patet, calamitoſiſſimum eſſe genus interitus ſi demum illud atrociſſimum mortis genꝰ perpendas, quo quidem multi ab inimicis crudeliter vulnerati ex hac vita emigrarunt, nõne credendũ erit, eum qui ita necatur, nihil aliud poſſe, q̃ de ſuis inimicis, vulneribꝰ, cruore, iniuriis, doloribus, ac ſpe vindictæ cogitare? vt mirum valde ſit, ſi ei à ſumma Dei bonitate aliquid etiam temporis, lociq; concedatur,

ad

ad lachrymis ac dolore eluẽda flagitia. Hæc autem omnia longè, ab hac morte quæ reo impendet, diſtare, cùm & ipſemet reus ſanæ ſit mentis, & omne vitæ ſuæ periculum apertè cognoſcat, &c. vt nihil aliud ei ſit faciendum, quàm ſuorum ſcelerum à Deo Opt. Max. venia imploranda. Quod ſi faciat, quàm citiſſimè ad æternę felicitatis gaudia perfruenda ex hac mortali vita euolabit.

5. Multos eſſe, qui benè agere cupiant magnopere, ſed careant tempore: alios, qui diffluant otio, ſed opportunitate, & auxilio deſtituantur: quam plurimos, quibus & tempus ſuppetat, nec deſit opportunitas: ſed vnico indigeant amore pietatis. Ipſi verò reo nihil horum, ſi tamen velit, deeſſe: cùm certum offeratur ei temporis ſpatium, in quo cùm pœnituerit, ſuorum peccatorum veniam conſequatur: in quacunque enim hora ingemuerit peccator, &c. neque deſit, qui eum libentiſſimè vſq; ad extremum vitæ Spiritum hortari velit, atque conſolari. Ideoque cogitationem omnem in DEVM eſſe conuertendam, ne æterna bona, quæ hoc pacto ipſi conſequenda propoſuit, deperdat contemnendo.

Opportunitas in hoc generē mortis.

6. Poterunt etiam à conſolatore, aliqua

San-

Exempla Chriſti Sanctorum, & aliorũ proponenda.

Sanctorum Martyrum ſupplicia, ac tormenta, quibus à perditiſſimis viris, iniuria necati fuerunt, enarrari: & præſertim Sancti illius, qui eodem nomine, ac ipſemet reus, appellatur. Plura etiam fusè dici de iis quæ Seruator noſter Chriſtus, vt nos ab interitu vindicaret, eſt perpeſſus. Neque verò hoc etiam loco erit ab re, ſi aliqua exempla proferantur, quibus aliquos viros admodum nobiles, ob minus ſcelus perpetratum, vel etiam innocentes, ad grauiora ſupplicia damnatos eſſe oſtendatur, qui potius tormentorum grauitate ſuperari, quàm rei veritate impulſi, aliquanto vel maiora facinora, vel etiam (quod ſæpenumero ſolet accidere) non modo non perpetrata, ſed ne cogitata quidem, ſe commiſiſſe ſunt confeſſi.

7. Addi etiam poterit: quid? nonne mi frater, tibi ſemel ſiue in cubili, ſiue in aqua, aut igne, aut aere, &c. eſt moriendum; Quid igitur eſt quod mortẽ pertimeſcas? conare, conare mi frater, vt hæc neceſſitas in magnã vertatur animi tui conſtantiam atq; virtutẽ quandam excelſam, qua ipſam etiam mortẽ omninò contemnas. Et hæc, quæ modo dicam, tecum ipſe meditare. Vtinã Domine Ieſu in-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inter Turcarum, Hæreticorumque tui nominis manus inimicas hāc vitā, a qua mox ego decedā, vna cum toto ſanguine profundere mihi licuiſſet: vel ſaltem has eaſdem pœnas, quas merito ob mea ſumma ſcelera luo, pro veræ fidei clara confeſſione perferrem. O te N. certè felicem ſi hæc agas, ſique tecum hæc cogites Nam quodammodo verus Martyr, ex hac vita migrans euolabis in cœlū: & id quidē meritò, ſi quidēDeus immortalis non minus miſericors eſſe credendus eſt, quàm iuſtus. Cùm ergò iuſtitia Dei pœnas, &ignem intentet æternum, lethale crimen duntaxat perpetrare cupientibus: Qui odit fratrem ſuum in corde, homicida eſt, & qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eā in corde ſuo: quare etiam miſericordiam non oſtendet (miſericordiæ enim eius ſuper omnia opera eius) erga eum, qui ſummopere optet eandem, quam Martyres, ſubire ſentētiam? Quin etiam adde, ſi eum, qui velit bona aliqua efficere, cùm verè non poſſit, vt elargiri eleëmoſynam, propriam carnē extenuare ieiuniis, corpus verberibus affligere, &c. omnium illorum idem dicimus in cœlo eſſe præmiū conſe-

Deſideria quæ excitādi in morituro.

1. Ioh. 3. Matt. 5.

conſequuturum; cur etiam eum nō martyrem appellabimus, qui quidquid martyres paſſi ſunt, ipſe & verè aliquo modo, vt illi patiatur, & omni etiam ex parte pati percupiat?

Rei morte multis prodeſſe.

8. Certo ſcito, mi frater, Deum hac tua morte, quaſi tacita quadam cohortatione, vt reliqui ad benè operandum incitentur, ac de te, ab omnibus qui te nouerunt, malè conceptam opinionem tollendo, funditus, vt de tua potius benè ſperent ſalute, vti velle. Atq; ideo hæc ipſa mors, eò tibi gratior eſſe debet, quo facilius poteris, eam magna patientia perferendo, omnibus, quibus peruerſis tuis ſceleribus obfuiſti, ſatisfacere, ex quo fiet, vt & tu glorioſum vitæ æternæ inde referas fructum, & omnes etiam quoddam emolumentum accipiant.

Orationes à reo dicendæ.

9. His omnibus explicatis, bonū etiā admodum eſt, vt conſolans, occaſione opportunè ſūpta, reū ad aliquantiſper ſecū & cum cæteris, qui aderunt, orandū hortetur: quo facto omnium ſanctorum opē Litaniis implorabit. Poſtmodum paſſionem Domini noſtri, &c. recitando, quibus in locis videbitur inſiſtet. eaque reo accōmodare explicabit, Addat etiā, ſi p temp⁹ licuerit, paucis tamē mutatis. ani-

animæ commendationem aliquid in ipſarum orationum recitatione animaduertendo, deuoteque contemplando.

10. Maximè etiam cohortandus reus erit vt, ſi fieri poſſit, animum ſuum generali quadam omnium, quæ recordatur, peccatorum expiatione detegat, hac enim ſcelerũ ſuorum recordatione magis ad dolorem, patientiamque inflammatur, dum apertè cognoſcit ſe toties ea commiſiſſe, quorum ſingula mortis pœna mulctari debuiſſent.

Pœnas ſponte ſuſceptas, maioris eſſe meriti.

11. Si benè ac deuotè ex his reus animi quodam ſenſu erga Deum erit affectus, poterit illi probari, vt aliquo flagello ſe cædat: prius verbis oſtendendo, multò maioris eſſe meriti eas pœnas, quæ in hac vita ſponte dantur, q̃ quæ coactè & neceſſariò, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem in purgatorio perferuntur.

12. Solet etiam mors ea, quâ reus plectitur, ipſi, quaſi quædam perferẽda pœna ſcelerum commiſſorum, à confeſſario iniungi: cùm & ob temporis anguſtias aliud faciendum imponi non poſſit, & id etiam permagni eſſe credendum ſit meriti.

Ne ſit nimis longa collocutio,

13. Neque verò vltrà duas horas eſt à cõſolatore cũ reo collocutio proferen-

da, ne tio-

da, ne illi aliqua ex hac re moleſtia pariatur (ni forte ipſemet reus id ſummè exoptaret) vt hac ratione vterq; aliquo temporis ſpatio à mentis labore quieſcat, & vt poſtea illi quidem faciliùs colloqui, is verò attentius poſſit eum dicentem audire.

Quæ reo meditanda.

14. Aliquid præterea temporis reo erit concedendum, quo aliqua vel circa peccata, vel mortem, infernum, iudicium, gloriam, Chriſti paſſionem, & his ſimilia, meditetur, quòd totum fieri debet habita morum, ac vi cognoſcendi eiuſdem ratione.

Pauci cum reo loquantur & quibus de rebus.

15. Non admodum expedire videtur, vt præter Conſolatorem, aut etiam eius ſocium, plures tunc temporis cum ipſo colloquantur. Qui verò cum eo colloquuntur, aduertant de nulla re eſſe ſermonem inſtituendum, quæ aliquo pacto ad animæ ipſius rei ſalutem videatur non pertinere, ne aliqua ei detur occaſio de parentibus, amicis, re familiari, rebus geſtis, gerendiſue cogitandi, ſolet enim Dæmon vel minima occaſione ſumpta, hęc conſideranda inijcere menti, vt animus ab omni pietate, & mortis amore, ad Dei contemptum, ac longius vitæ deſiderium protrahatur.

16. Ad

16. Admoneat conſolator eos, qui ientaculum ſunt reo miniſtraturi, ne nimio potu reddatur ebrius : quod quidam ſummo ſtudio fieri curant, vt hac ratione omnis moriendi metus, animique ſolicitudo auferatur, qui ſanè ignorant hoc eſſe Dæmonis quoddam inuentum: qui optimè nouit, quantum ſana mens conferat ad benè feliciterque moriendum, cùm tunc temporis de ſummo agatur, vel vitæ, aut mortis æternæ diſcrimine, &c. *Ebrietas in reo cauenda.*

17. Caueat ſummopere conſolator, ne quicquam ad feſtinandam reo mortem proferat, hæc aut his ſimilia dicendo: Eia, nimis moramini, tempus tandem inſtat, properate, ſunt enim alia negotia peragenda, nunc reus optimè eſt erga Deum animatus, citò eum ab inſtantis mortis cogitatione liberate, multò ſapone funem perungite ne nimium inter moriendum excrucietur; aut etiam ipſi reo propera in via, benè, firmiterq; conſcende gradus, &c aut itidem retusā ſecuris aciem curet acuendam, &c Hæc enim aut dicere, aut efficere, eſſet reo maturare mortem & irregularitatis pœnam incurreret, ideoque vnicuiqui ſunt propria obeūda munera, iuxta officii ſui *Cōſolator irregularitatem prudenter vitet.*

ratio-

rationem: & licet aliquando carnifex, vel ſatellitius pręfectus à conſolante petant, an omnia ſint abſoluta, expeditaq́; & an tempus credat eſſe oportunum iuſtitiæ mandata exequendi, hiſque ſimilia &c. ipſe tamen immotus, quod ſuum eſt faciendo expediat, cæteriſq́; omnem aliam curam relinquat ſua peragendi.

18. Dum reus ad mortem ducitur ſumma eſt attentione hortatori curandũ, ne oculis hinc inde aſpiciendo, aut quempiam ſalutando, aut ſalutanti reſpondendo, animo diuagetur, nec etiam ipſemet hortator tunc temporis, rei nomine aliquid cuiquam iubeat faciendum, ſed omni mentis ac virium ſuarum conatu in vnam illius animæ, perbreui temporis ſpatio ex hac vita migraturæ, ſalutem totus incumbat.

Dũ reus ad mortem ducitur quid curandũ.

19. Si fortè aliquid eſſe ſcrupuli appareat, quo rei mens conſcia premeretur, vel etiam ſi optare videretur res ſuas alicui, ac ſupellectilem teſtamento legare, erit in his omnibus, quantũ fieri licebit, teſtibus neceſſariis aduocatis, adiuuandus qua quidem in re confeſſarius, conſolatorue aduertat, ne vnà cum teſtibus, aut ſcriptoribus cenſeatur, ni fortè aliquid ipſum ſcribere eſſet neceſſariũ,

quod

um, quod etiam nec eiuſdem propria erit manu ſubſignandum, ſi verò fortè res aliquæ ab ipſo reo relictæ erunt in carceribus, id ipſemet iubere poterit, vt conſanguineis, aut cui velit tribuantur, aut potius ob animæ ſuę ſalutem in pauperes erogentur.

20. Quantum hortator poterit, enitatur, vt ſi quid odij in iudicem, aut partem aduerſam, aut teſtes, aut quemuis alium rei animo erit infixũ, id euellat omne: quin potius hanc Dei immortalis voluntatem eſſe oſtendat. Ideoq; ipſum huiuſmodi mortis genus, quamuis innocentem, debere perferre libentiſſimè.

Aliorũ & ſuæ famæ reus cõſulat.

Monendusq́ue erit, vt, ſi quid tormentorum acerbitate coactus, aut de alterius fama detraxerit, aut falſo quempiam accuſauerit, cum per temporis anguſtias, neque teſtes adhibere, vt moris eſt, neque publicum ſcribam liceat aduocare, id ipſum totũ præſenti populo, Deum imprimis teſtatus, exponat affirmetq́ue hunc falſo inſimulatum criminis, illum necis & flagitij, &c. ipſamq́ue populi multitudinem elata voce det teſtem in has res ſingulas, antequam aut collum in laqueũ inferat, an ſecuri ceruices ſupponat, ne detrimẽti quidquam

innocentes ſua culpa patiatur. Quòd ſi minus etiam ſuæ famæ vi, metuq; conſulerit, ei apertè dicendum quod verum eſt, ne animi, & corporis vnus idemque ſit interitus.

Indulgentiam lucretur ſi poteſt.

21. Si conſolator aliquos precarios calculos ſecum habuerit, quibus reus in mortis articulo plenariam ſuorum ſcelerum indulgentiam conſequi poſſet, orandus erit, vt moriturus ea perficiat quæ neceſſaria ſunt ad indulgentiam illam conſequendam.

Quæ à conſolatore aduertenda.

22. Neq; verò aut in carceribus, aut eo in loco, vbi reus erit è medio tollendus, conſolator illi multum adhæreſcat, id diligenter aduertat, præſertim in carcere, vt eius manus ſuis ſint ſemper cathenis colligatæ, licet enim ſæpè rei animo pacato eſſe videantur, aliquando tamen ſubitò quodam mortis horrore correpti, prorũpunt in phreneſim, & quaſi lymphati, etiã ſibimetipſis, non modò, cæteris, mortem conſciſcere machinantur, etenim ſæpiſſimè clarè cuſtodes intuiti ſunt illos quaſi mẽte captos capita parietibus collidentes, & quicquid manu arripuerant, in adſtantium ceruices deuibrantes. Alia tamen ratione procedendum cum ijs, qui ob familiæ nobili-

tatem, & magnam quandam animi demiſſionem ac dolorem, tanta manuum ac totius corporis conſtrictione non egent.

23. Vt maiori cum alacritate reus accedat ad mortem, polliceatur illi cõfeſſarius, ſe pro illo poſt eius mortem diu Dominum oraturum, atque diligenter, vt multi idem efficiant curaturum (quod verè poſt exequetur) moneatque ſæpe, an ei aliquid noui, quod ſit confeſſione excipiendum, occurrat: an ab aliquo fidei, odij, deſperationis, longioris vitæ huius aut parentum amoris, aut cuiuſuis alterius rei tentatione à cacodæmone torqueatur. Nec vnquam deſiſtat à cohortatione ad patientiam, ad magnam ſpem diuini auxilij, paſſionis Chriſti, ac vitæ æternæ, ad quam cum Chriſto ac Diuis quàm plurimis, qui multò acerbiorem paſſi ſunt mortem, ſempiterno tẽpore moraturus, ſi velit, perueniet quàm citiſſimè. Adde etiam, ſe quodammodo ipſi inuidere, quippe cùm à tot laboribus, animi perturbationibus, corporis morbis, perpetuo quaſi carcere, ſimultatibus, infinitis propemodum calamitatibus, & ipſamet morte, moriendo liberetur: & omnis aditus ipſi perpetrãdi

facinora præcludatur: &, quod omnium maximum bonum eſt, ad perfectè Deũ cum Angelis ac Diuis omnibus videndum, & collaudandum, ampliſſima quædam ianua referetur.

Conſanguineorum colloquium cum reo prohibēdum.

24. Summa præterea eſt attentione aduertendum, ne fortè aliquo modo cum cõſanguineis, vxore, aut filiis colloquatur: ſed potius horum omnium, quantum fieri poterit memoria erit ac mentio ſupprimenda. Nec etiam ad id eius aut amici quidam, cum eo colloquendi quadam curioſitate ducti, erunt admittendi. Siquidem horum omnium, eo extremo vitæ tempore, ſermo nihil prodeſſe, multum autem poteſt obeſſe.

25. Quam ſæpiſſimè rei non tam mortem ipſam, quàm genus ipſum mortis turpiſſimum æſtimantes, perhorreſcunt: ſibimet ipſis malam crucem præ oculis obiicientes, ſe ipſos in ea iam extinctos fingendo, & innumerè adſtantis plebis, ac pertranſeuntis irriſiones, atque contemptus contemplando, &c. Ideo maximè conſolator eos hortabitur, vt pendentis Chriſti in Cruce imaginem, ac ſimul D. Petri, D. Andreæ ac multorum Sanctorum Martyrum cruci affixorum meditentur: eoſque docebit, pluris ani-

mum

mum eſſe faciendum, qui nunquam extingui poteſt, quàm corpus hoc, quod vna cum brutis, citò in cineres aridumque puluerem euaneſcet. Ideoque ſummo ſtudio eſſe conandum, vt eo tempore perbreui, quo corpus pendet in cruce, animus noua quadam vita, & gaudijs incipiat perfrui ſempiternis, vt quamplurimis, qui hoc mortis genere extincti ſunt, credendum eſt feliciter eueniſſe.

26. Tandem cùm reus è vita migrauerit, ſi vxorem, filios, aut parentes, aut cõſanguineos ſuperſtites habuerit, qui ob ſummũ dolorem turpiſſimę mortis, qua ſuus N. fuit affectus, pœnè deſperent, ipſemet, qui reum eſt conſolatus illos adibit atque ſolabitur, affirmando N. ſuũ, vt verum Chriſtianum decet ex hac vita ceſſiſſe. Ideoque eum non tam inter turpi morte mulctatos, quam inter æterna felicique vita perfruentes eſſe numerandum. Hæc igitur illis, hisque ſimilia dicenda erunt, quæ Spiritus ipſemet Sanctus vberrimè ſubminiſtrabit.

Hæ itaq;, aliæque piæ meditationes ad conſolandum eos qui facilè flectuntur in bonum, poterunt adhiberi. Quod ſi quis reus reperiatur, qui illis nequeat obfirmata mente dimoueri, ad alia erit

firmiora, ac potiora remedia recurrendum.

Quomodo cum obſtinatis reis agendum.

1. Maximè reor conducere, ſi huiuſmodi reum ea, qua conſolator poterit, animi demiſſione, adeoque, ſi neceſſe erit, flexis genibus cohortetur ad animum erga Deum piè excitandum, animæque ſuæ ſaluti conſulendum, quod efficiet facilè ſi in hoc extremo vitæ ſuæ tempore, omnem animi ſui labem peccatorum confeſſione abſtergendo, in Dei æquiſſimi rerum æſtimatoris voluntate acquieſcat Hic etiam erunt nobiliorum virorum ipſo reo exempla proferenda, qui non adeò graui patrato flagitio, pœnas tamen dederunt grauiores, ac præſertim ſi cui illorum morienti ipſemet idem conſolator adfuerit.

2. Si verò his explicatis, reus adhuc peruerſo animo, in errore concepto perſiſtat, tetro iratoque vultu, ac verbis grauioribus cum eo agendum erit, eiq́; dicendum: Abi hinc, diſcede ex hominum conſpectu, qui nec ipſa terra ſuſtentari, & omnino a Deo non mereris in hoc ſummo vel æternæ vitæ vel mortis diſcrimine adiuuari: equidem nunc mihi omnem animi tui curam iure cenſeo eſſe deponendam, quid addam præterea?

ea? non ſecus ac rationis expers bellua quædam morieris, & quod calamitoſius eſt de hoc æuo extincto corpore, animus etiam, ad interitum perferendum ſempiternum, à Dæmonibus raptus in horrendos inferni carceres detrudetur. Quo facto, ſimulandum erit hortatori ſe velle diſcedere, ab illo verè paululum diſcedendo, quippe cùm ad peruerſam, obſirmatamq; mentem commouendam omnis adhortatio nihil valere videatur.

3. At ſi hæc etiam fruſtra fieri viderentur, eundem hortari poterit conſolator per aliquem alium reum, eadem morte plectendum, qui læto ſit alacrique animo, ac bene erga Deum affectus. Hic enim faciliùs ad necem patienter ferendã permouebit, oſtendendo, ſibi eiuſdem mortis generis vel acerbiori eſſe occumbendum, & tamen ſummoperè de hac præpotentis Dei voluntate gaudere. Quibus autem de rebus, quoque pacto cum reo ſit colloquendum, conſolator prius oſtendet, vtriuſq; tamen perſonæ ſemper ſeruata ratione.

4. Si neq; his reus ad pœnitendum moueatur: rurſus ad eum redeat conſolator: ac blando ſermone quicquid ab ipſo dictũ fuerat, rectè nec ſine ratione, dici

potuiſſe aſſeueret, non ideo tamen eſſe
deſperandum: ſed potiùs cùm ipſi ſit eo
mortis genere neceſſario è vita decedē-
dum, dolorem ac turpitudinem, mentis
tranquillitate, magna ex parte adimen-
dam. Addet præterea conſolator ſi fieri
poſſet, & ad maiorem Dei gloriam, fa-
mulatumq; pertineret, ſe optare ſum-
moperè pro ipſomet reo eandem mor-
tis ſubire ſententiam, ſiquidem Chriſtus
Dominus omnium, quæ excogitari poſ-
ſunt, acerbiſſimam, turpiſſimamque
mortem, ne ad interitum rueremus ſem-
piternum ſummo quodam æternoque
amore perpeſſus eſt libentiſſimè.

Acerbitas mortis Chriſti.

Hic aliqua paulò fuſius erunt exagge-
randa, quibus clarè acerbiſſimum, tur-
piſſimumque fuiſſe iſtud mortis genus
oſtendatur. Primò ſi carnifices contem-
pleris, inimici erant. Secundò, ſi tormē-
ta, exhorrēda. Tertiò, ſi tempꝰ, Paſcha-
tis feſtum celeberrimum. Quartò, ſi lo-
cum, extra mœnia Hieruſalem, præ-
cipuæ Hebræorum ciuitatis, ſummum
Caluarię montis faſtigium, &c. Quintò,
ſi perſonam, Dei Filius, puriſſima Bea-
tiſſimæ Virginis carne veſtitus, &c. Sextò
ſi demum ſcelus, ſumma innocentia
Chriſti, & ſumma noſtra omnium, in-

nume-

numeraque flagitia, &c. His explicatis aliqua etiam (ſi videbitur) erunt Sanctorum Martyrũ exempla proponenda, qui longo tempore cruciatibus ſummis torquebantur, in quorum numero præcipuè fuerunt Diuus Laurentius, Diuus Sebaſtianus, ac Diuus Andreas, qui triũ dierum ſpatio viuus pependit in cruce, &c. Addi præterea poterit, quam plurimos reperiri, qui vitam certo ferè periculo mortis exponunt, perparua duntaxat lucrandi ſpe incitati, cuiuſmodi ſunt mercatores, qui vitam resque ſuas omnes ventis ac fretis committunt: milites; qui quotidie inter acies, & arma verſantur, ac ſtrictum ferrum iugulo necem intentans paſſim intuentur: ac demum quidam digladiatores, qui quoduis honoris, licet exiguum paſſi detrimentum, armis ferroq; illico agendum eſſe conſtituunt: quorum hominum plurimi, aut vulnerantur, aut etiam more belluarum enecantur.

5. Quòd ſi nec his flecti poſſe videatur, vnà cùm ijs, qui aderunt, cõſolator pro eo orabit, expoſtulando ab ipſo reo, vt idem efficiat, ne in peruerſo animo perdurando miſerrimè moriatur, ſed potius diuinum ſibi ſentiat adeſſe auxiliũ.

Ideoque etiam præſentibus cæteris (ſi expedire videbitur) conſolator propriis manibus aliquo flagello ſe cædat verberibus: ex hoc enim fortè fiet, vt ingentē erga ſe amorem reus admiratus, a peruerſa ſententia, ad pœnitendum, & animæ ſuæ prouidendum deducatur.

6. Verùm ſi hæc omnia nihil prorſus prodeſſe apertè apparebit; ſummis precibus ab eo confeſſarius efflagitabit, vt, quamuis paratus ad parcendum inimicis, aut ad hoc abiectum ac turpe mortis genus libenter perferendum, non eſſe videretur, ſaltem animum peccatorum confeſſione detergat ab omni turpitudine, &c. Hoc enim facto, ſperandum erit, vt, vi quadam pœnitentiæ ſacramenti roboratus, ad omnia, quæ velit confeſſarius, facienda inflammetur: præſertim ſi eidem eandem capitis ſententiam multoties eum incurriſſe, ob varia patrata flagitia, multis rationibus oſtendatur. Quòd ſi fortè contrà minus ex hoc ipſo aptus fieret ad recipiendum ſuorum ſcelerum abſolutionem, non erit abſoluendus: ſed commonendus (nulla tamen huius rei cæteris ſignificatione facta, ratione ſigilli) ipſum adhuc

adhuc in Dæmonum manibus adſtrictum detineri, nec vlla ratione tot catenas, ac nodos, ni eum verè pœniteat, poſſe perfringi &c.

Neque verò ideò deſiſtat à cohortationibus conſolator: ſed ad finem vſque perſeueret: & in ipſomet extremo vitæ tempore, etiam conſcenſo patibulo denuò eum ad pœnitendum hortetur, ſiquidem eo perbreui ſpatio, ſi velit, vitã conſequetur æternam: ſin minùs, inferni ſemper duratura ſupplicia patietur. Quo illi explicato, hęc etiam ad permouendum addi poterunt: Quid tibi animo ita obfirmatio, & à Deo auerſo, mori proderit: pœniteat te ſcelerum commiſſorum: cura tandem, vt omnes intelligant te Chriſtiano homine dignum ex hac vita migrare. hoc ſi feceris, ego vnà cum hac hominum multitudine pro animæ tuæ ſalute Deum exorabimus: ꝙ quidem verè ipſe efficias, cæteriſq; præſentibus faciendum præcipiat.

Quo ſi tunc temporis reus aliquod doloris ſignũ præ ſe tulerit, ſatis erit ea cõtritio, aut attritio, & abſolui poterit: eo tamen priùs monito an aliquid præter ea, quæ priùs fuerat cõfeſſus, occurrant. His itaq; omnibus diligenter abſolutis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſperandum eſt, reos omnes, qui morte mulctantur, ex hac vita tanquam ex turbulentiſſimo mari, ad feliciſſimum atque tranquillum æternæ vitæ portum migraturos.

De ijs quæ ad morientem iuuandum faciunt, ſed ſine ipſo tractantur.

CAPVT XIX.

Oratio ſacerdotis.

QVÆ hactenus dicta ſunt, ad ægrotantis auxilium, non niſi per ipſum vel ſaltem non ſine ipſo tranſigi poſſunt: alia ſine ipſo fieri poſſunt, & debent, vt quæ hîc dicentur.

Primum autem inter ea locum habet oratio Sacerdotis ipſius, qui juuat morientem; tam cùm admiſſus ad eum eſt, ac recitat illud Beati Iacobi, ſcilicet, Infirmatur quis in vobis, & cetera: dicitq; ſtans & aperto capite, Euangelium, & orationem ſuper infirmos dici ſolitam, quàm cùm admiſcet alijs colloquijs cũ infirmo alias preces, alta vel ſubmiſſa voce, ſed crebriùs & diutiùs orabit, quãdo infirmus ſenſum & judicij vſum amiſit, vt etiam ſuperius dictum eſt.

Alterum locum habet Oratio eorum

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui præſentes ſunt: qui cum Sacerdote vel ſocio eius dicent Litanias, vel alias Orationes pro infirmis. Et hæc intelliguntur præter orationes, quas in via facere, & domi etiam debet, qui morientes juuat: de quibus primo capite. *Oratio aliorum præſentium.*

Si commodè fieri poterit, aget cum ijs qui conjuncti ſunt ægrotanti, vel eius curam habent & rerum eius, vt eleemoſynas pro ea faciant, de bonis ipſius, vel vt volent, & Miſſas dici pro eo & in monaſterijs & locis pijs orationes in eius ſubuentionem fieri curent: ſi etiam jeiunia aut aliæ caſtigationes corporis, & aliqua vota, & piæ aliæ actiones & Miſſarum præcipuè ſacrificia, pro eo fient, curare haud dubiè poterunt: & in omnibus id petatur, vt Dominus infirmo ſit propitius; & vel ei reſtituere dignetur ſanitatem, ſi ad melius ſeruiendum ipſi expediet; vel ſi ex hoc ſæculo transferre in aliud omninò volet, vt benè ipſum diſponat, ad æternæ felicitatis conſecutionem. *Eleemoſynæ, vota, &c.*

Si non fuerit in cubiculo aqua benedicta; curet vt afferatur: & cum ipſe & alij aſpergant eâ interdum, & ipſum lectum & cubiculum, contra Dæmonis moleſtias, ſi non habeat Crucifixi imaginem *Aqua benedicta, & Imago crucifixi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

giem, vel aliam ſaltem, quæ ad pietatem excitet, & juuet, adferri, & ibi teneri curet: & infirmo ea oſculanda interdum admoueatur, vt per eius aſpectum vel oſculum ad aliquem pium affectum excitari poſſit.

Commẽdatio animæ.

Cùm ad vitæ finem proximè accedere, & in agone eſſe videtur, commendatio animæ ſecundum communem Eccleſiæ ritum fiat ab eo, qui adiuuat: & tunc potiſſimùm, cùm cætera ſunt peracta quę pręcedere ad auxilium morientis debent, vel cùm ipſe non eſt jam ſenſuum & mentis compos; tunc enim commendatio prædicta, & orationes, & pia opera, de quibus ſuprà, pręcipua ſunt adiumenta, quæ morienti adferri poſſunt.

Remouetur à conſpectu morientis, qui nutriunt affectus humanos.

Adſint qui in cubiculo morientis orent pro eo.

1. Remoueantur ab ægrotantis aſpectu, qui bonam ipſius pręparationem ad moriendum impedire poſſent: vt eſſe ſolent præſepe filij & vxor, qui potius humanos affectus, quàm ſpirituales in eo prouocarent, ſecus eſſet ſi ſpirituales, & ad infirmum adiuuandum idonei crederentur; adhibendi autem eſſent homines boni & pij, qui morienti aſſiſterent, & bona aliqua ſuo loco & tempore ſuggerent, & ſaltem pro eo orarent,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rent, & in agone Symbolum Apoſtolorum & paſſionem Domini, vel aliquos Pſalmos ad rem accommodatos, & ex more Eccleſiæ ſuper agonizantes dici conſuetos, prælegerent: quales ſunt qui ſequuntur. Pſalmi, Qui habitat in adiutorio Altiſſimi. Dominus illuminatio mea. In te Domine ſperaui. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. De profundis. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Ad te Domine leuaui animam meam. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. Eripe me Domine ab homine malo, & alij, qui meliùs leguntur quàm memoriter dicuntur, & ſi aliquid intelligit patiens, illa inculcanda magis ſunt, quæ ad eius guſtum & vtilitatem tunc magis pertinent. Symbolum etiam circa horam tranſitus, non ſemel recitari expedit, ea voce, quæ affectum pium excitet. & ſic non confundetur moriens cùm loquetur inimicis ſuis in porta, juxta Pſalm. Laudabile autem erit, ſi ſacerdotes fuerint, vel ſaltem aliqui eorum, qui hæc & alia orabunt in ipſius ægrotantis cubiculo, non ſolum poſtquam ſenſibus integris eſſe deſijt, ſed etiam dum adhuc intelligit, & ſi poſſet ipſe ſine moleſtia audire

Qui Pſalmi oportune dicantur à circumſtantibus.

Pſ. 126.

ali-

aliqua ex his, & eorum expoſitionem, bene quidem: ſi non poſſet, vtiliter tamen ab prædictis ſacerdotibus, vel alijs pijs hominibus, licet non audiret ipſe, nec ſciret, huiuſmodi orationes fierent: & interim etiam dum aliquis agonizanti loquitur, poſſent alij talia ſubſidia, orando ſeorſum, vel ſimul, ei præſtare: imò & pueri vicini, vt orent, pro talibus, optandum eſſet, dicendo Credo, Pater noſter, Aue Maria, Salue regina, Litanias, & alia.

De ijs quæ ad iuuandos eos pertinent, qui aſſiſtunt morienti.

CAPVT XX.

Rationẽ habeat aſſiſtentium dũ loquitur infirmo.

QVI morientem alijs præſentibus iuuat, quamuis præcipua intentione ad infirmi auxilium feratur, rationem tamen ſuo loco & tempore aliorum audientium habere poterit, & debebit: vt ex his, quæ infirmo dicuntur, vel ſi quid aliud propter eos addatur, ædificationem accipiant.

Digreſſiones.

Aliquæ etiam digreſſiones fieri poſſunt (& interim cõquieſcet aliquantulũ infirmus) ad hoc ipſum, vt ſcilicet præſentes iuuentur, ſiue omnibus ſimul,

ſiue

ſiue huic & illi loquatur ſeorſum.

Tempus commodiſſimũ ad iuuãdos aſſiſtentes.

Cùm autem ægrotus vel jam obijt, vel omnino judicij, aut ſenſuum vſu priuatus eſt, magis adhuc locum habent, quæ ad aſſiſtentes dicuntur, quædam ergo dici eis poſſunt ad infirmi vtilitatem, vt paulò ante diximus: ſcilicet & orari, & Miſſas offerri, & eleemoſynas pro eo viuo vel defuncto fieri, vel alia pietatis, & charitatis aut pœnitentiæ opera curent, prout diſcretio, circunſtantijs perſonarum conſideratis, dictabit. Et ſi præſentem ſe non fore putat in hora mortis, hortetur vt eo tempore dicant Litanias vel alias Orationes, nec ipſi filij, & vxor vacent, quin potius ipſi orent, licet non expediat fortè, vt ſint præſentes morituro, ſed alibi id faciant, dicentes Coronas, vel Miſerere, vel inuocantes Beatam virginem, Angelos, & Sanctos, vt adſint morienti, & pro eo intercedant.

Quæ dicantur eis in infirmi auxilium.

Quæ dicantur ad ipſorum auxilium.

Quædam verò ad ipſorum aſſiſtentiũ ædificationem, ſumpta occaſione ex eis, quæ de infirmo vel mortuo ſunt viſa, dici poſſunt, vt;

Vſus frequens Sacramentorum.

Quàm bona ſit præparatio ad mortẽ innocens vita: quã proſit etiam frequens vſus ſacramentorum, & per confeſſionẽ aliquam generalem & diligentem, ſic

ſuam

purgaſſe conſcientiam & pacaſſe, vt nullum in articulo mortis negocium, peccatorum confeſſio; aut obligatio ad reſtitutionem faceſſant.

Mortis memoria.

Quod ſæpe in ſanitate, mortis memoria habenda ſit & ſic vita inſtituenda, vt in articulo mortis inſtitutam vellemus.

Tempus quam precioſum.

Quàm precioſum ſit tempus, quod ad ſalutem noſtram operandam dat nobis Dominus, ſcilicet vt ſunt nundinæ mercatori, vt aurifodina detecta, vel theſaurus non clauſus diuitias ſitienti, vt ſerenum tempus & proſper ventus nauiganti, vt tempus meſſis agricolæ, qui ſi præterire ſinant præſentem occaſionẽ, nunquam eam fortaſſis ſimilem ſunt habituri: cum vel vna hora eſſet morienti magnopere expetenda, in qua integris ſenſibus, & judicio, poſſet per pœnitentiam & bona opera ſe diſponere ad beatitudinem, & eius defectu poſſet aliquîs in æternam damnationẽ incidere, ergo dum tempus habemus, operemur bonũ ad omnes, maximè autẽ ad domeſticos fidei.

Temporalium rerum vanitas.

Quanta ſit vanitas rerum temporaliũ cùm dignitates, honores, diuitiæ, voluptates & omnia, quæ hic magni fieri ſolent, relinquantur: ipſum corpus in puluerem redigatur, ad cuius commodita-

tem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem tam multa, & tam ſolicitè fiunt, perinde ac perpetuò eſſet hic viuendum.

Virtutis quantus fructus. Ap. 14.

Quantum ſit momentum virtutis, quantus actionum bonarum fructus: cũ vitam æternam promereantur, & morientes comitentur, juxta illud Apocalypſis: Audiui vocem de cœlo dicentem mihi, ſcribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo enim jam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos, & vtique ad gloriam perpetuam & felicitatem operantium ſequuntur.

Gal. 6.

Diligenter ergo eis dum poſſumus, inſiſtamus, vt hortatur Apoſtolus. Bonũ autem facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.

Hora mortis incerta.

Cùm mors ſit tam certa, & eius hora tam incerta, quòd quotidie ſic debemus nos diſponere, vt ſecurè poſſimus eodem [illegible] mori: nec debemus nobis longam vitam polliceri, nec in aliud tempus emendationem vitæ & bonas actiones reijcere, incerti an hunc diem integrum victuri ſimus.

Libertas cordis.

Quod optandum ſit, vt in hora mortis, non adhæreat affectus humanus rebus vel perſonis terrenis, ſed cor totum

liberum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In ſanitate eſt curanda.

liberum & expeditum, ad cœleſtia deſideranda, & ſummũ bonum vnicè amandum ſe conuertat: & quàm felices ſint qui ſic ſe habent, vel ex ipſo ſtatu, vel ſaltem ex præparatione ante id vltimum tempus facta. vnde curare debemus, dum viuimus ſani, vt id ita fiat.

Teſtamentum maturè faciendum.

Quod ad teſtamentum attinet, quàm conueniat, vt dum quis valet ſenſibus, & judicie, id faciat: ne vel carendo vſu integro judicij, deliramentum faciat pro teſtamento, vel conſanguineis, aut alijs circa mortem vrgentibus, vel forte impedientibus eius voluntatem (quod tamen eſſe graue peccatum declaretur) non qua debet ratione fiat, nec, vt par eſſet, animæ teſtantis, per opera, vel legata pia conſulatur. ideo expedire etiam, vt dum quis valet, vel antequam morbus ingraueſcat, ea exequatur ipſe (ſi poteſt) quæ in teſtamento legare alijs decreui[t]: vel ſaltem maturè per teſtamentum, vel codicillum leget: ne procraſtinando, ad eum ſtatum redigatur, vt non poſſit iam, ꝙ ipſius animæ magnopere cõueniebat, præſtare. Et alia huiuſmodi, habita ratione perſonarũ, oportunè dici circunſtantibus, vel in communi, vel ſeorſum agendo cum quibuſdam, poſſunt.

FINIS.

Collegij Soc. Jesu Paderb. A° 162[3]

a deſi-
aman-
es ſint
el ſal-
mum
,dum

quàm
bus,
ſu in-
t pro
alijs
e im-
d ra-
etur)
ar eſ-
egata
m, vt
orbus
oteſt)
eur
n, vel
o, ad
iam,
bat,
a ra-
cun-
ſum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN